

Chronicon

.....
quam fecit de eis dominus Rolandus domine Cecilie, qui erat tunc capitaneus dicti castr
pro comune Bononie, et illam proditionem foverunt illi de Sancto Marcho et dominus
Guidinus de Plumacio, qui proditorie dederunt illum Mutinensibus: et, dicta de causa, dictus
dominus Rolandus mortuus fuit, inter rumorem populi, super scalas pallacii comunis Bononie, et
illi de Sancto Marcho et dominus Guidinus fuerunt positi in banno perpetuo comunis Bononie,
et eorum heredes, et bona eorum mobilia fuerunt destructa. Et, hoc anno, dominus Fredericus
imperator fecit transitum per Medicinam et per Sanctum Iohannem in Persiceto, et
fuit prelium ad Sanctam Mariam in Strata inter comune Bononie, ex una parte, et Mutinenses,
Parmenses et Cremonenses ex altera; et, in dicto prelio, inter alios, fuit mortuus dominus
Punçamatus de Cremona, de nobilioribus et de melioribus hominibus de Cremona.
Millesimo ducentesimo vigesimo nono, indictione secunda. Dominus Aliprandus Faba
de Brixia fuit potestas Bononie. Hoc anno fuit prelium de Sancto Cesareo, de nocte, inter[Page 2]

comune Bononie, ex una parte, et Mutinenses, Parmenses et Cremonenses ex altera, apud
dictum castrum, et comune Bononie erat, cum tentoriis et edificiis, in obsidione dicti castr
et tunc dictum fuit quod dominus potestas voluit prodere comune Bononie, faciendo elevari
exercitum de nocte: tamen Mu[tinenses, Parmenses et Cremonenses] de illo prelio male steterunt.
/*

Millesimo ducentesimo trigesimo, indictione tertia. Dominus Paganus de Petrasancta de
Mediolano fuit potestas Bononie.
Millesimo ducentesimo trigesimo primo, indictione quarta. Dominus Fredericus de Lavellolongo
de Brixia fuit potestas Bononie. Hoc anno dominus Useppus de Tuschis, cum
rektoribus societatum artium civitatis Bononie, ascendit pallacium comunis Bononie, petentes
a potestate sibi consilium generale comunis Bononie exhiberi; et quare dictus potestas
noluit eis dare consilium, incepto rumore populi, fregit scrinios et discos super pallacium, et
statuta et libros bannitorum comunis et maleficiorum destruxerunt: et fuit [magnus] dominus,
t[amen me]rcator, dominus Useppus predictus.
Millesimo ducentesimo trigesimo secundo, indictione quinta. Dominus Rainerius Geno
de Veneciis potestas fuit Bononie bonus et laudabilis.
Millesimo ducentesimo trigesimo tercio, indictione sexta. Dominus Guido Raulis de Faventia
fuit potestas Bononie. Hoc anno comune Bononie habuit primo Frignanum sub sua
dictione.
Millesimo ducentesimo trigesimo quarto, indictione septima. Dominus Carnasiale de Ugine
de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno factum fuit de novo extimum civitatis Bononie.
Millesimo ducentesimo trigesimo quinto, indictione octava Dominus Ubertus Vicecomes[Page 3]

de Placencia fuit potestas Bononie. Hoc anno frater Iohannes de Vicencia de ordine Predicatorum
incepit facere predicationes, et fuit magna devocio.
Millesimo ducentesimo trigesimo sexto, indictione nona. Dominus Conpagnonus de Pultronibus
de Mantua fuit potestas Bononie, et obiit in dicto regimine, in festo Paschae Resurrectionis
domini nostri Ihesu Christi. Et dominus Ubertus Surdus de Placencia venit ad
dictum regimen faciendum, et rexit civitatem, et tenuit regimen suum, usque ad kalendas
ianuarii, bene et honorifice.
Millesimo ducentesimo trigesimo septimo, indictione decima. Dominus Rufinus Guascus
de Alixandria fuit potestas Bononie. Hoc anno captum fuit Castrum Leone a comuni Bononie,
per vim et duellum magnum factum inter Bononienses et Mutinenses; nam comune Bononie
erat in obsidione dicti castr, circa festum sancti Andree, cum manganis et trabuchis
destruendo ipsum totum. Et, dicto anno, dominus Guido Raulis cepit cataneos de Medicina per
vim, et ipsos duxit et tenuit in carceribus, in quibus mortui fuerunt morte naturali, scilicet
dominus Ugutio et Paulus catanei de Medicina.
Millesimo ducentesimo trigesimo octavo, indictione undecima. Dominus Robertus de Concoregio
de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno fuit mortuus dominus Guiratone de
Çanbraxiis de Faventia, quem occidit dominus Amador [Bulçage in strata; qua de] occasione,
ipso anno, pars Manfredorum expulsa fuit de civitate Faventie per dominum Acharixium
et suos sequaces, occasione mortis domini Garatonis.
Millesimo ducentesimo trigesimo nono, indictione duodecima. Dominus Ardicio Luschus
de Brixia fuit potestas Bononie. Hoc anno sol obscuratus est die tercio iunii, et dominus
Paulus de Traversariis de Ravenna fecit societatem cum comuni Bononie, et dedit civitatem
Ravenne comuni Bononie; et tunc milicia Bononie ivit Ravennam causa accipiendi ipsam,
et tunc pars Comitum de Ravenna expulsa fuit de ipsa civitate.
Eo vero anno dominus Fredericus inperator, ad preces et instancias Mutinensium, Parmensium
et Cremonensium, venit cum exercitu supra castrum Plumacium, et iliud cepit per

vim, et in ipso castro erant dominus Iacobinus Buglonus, dominus Nicholaus Baçalerii et dominus Castellanus de Sturlittis pro capitaneis dicti castri. Et tunc comune Bononie fecit exercitum super castrum Malgrati, quod erat comunis Mutine, et ipsum castrum ceperunt et conbuxerunt destruendo totum.[Page 4]

Eo anno dominus inperator venit ad obsidionem Crevalcorii, et, stando ibi, milicia Bononiensium, cum aliquibus bonis balistis, ivit ad civitatem Mutine, credentes ipsam civitatem accipere, sed non potuerunt: tamen conbuxerunt omnes burgos de extra civitatem; postea, eodem anno, comune Bononie equitavit ad castrum.... quod erat castrum Mutinensium, et illud ceperunt et destruxerunt, et postea iverunt ad Vignolam, quod erat castrum Mutinensium, et ibi fuit maximum prelium, et comune Bononie fuit sconfittum die dominico secundo mensis octubris.

Millesimo ducentesimo quadragesimo, indictione tertiadecima. Dominus Rainerius Geno de Veneciis fuit potestas Bononie. Hoc anno fuit obsessa civitas Ferarie per comune Bononie et comune Veneciarum, et, per concordiam, habuerunt eam, et captus fuit dominus Salinguerra sub spe concordie, et ductus Venecias, et ibi obiit. Hoc autem fieri fecit dominus Gregorius de Montelongo, qui erat tunc legatus apostolice sedis. Et tunc dominus marchio extensis, cum gente sua, intravit Ferariam, et habuit eius dominium magno tempore. Millesimo ducentesimo quadragesimo primo, indictione quartadecima. Dominus Oddo de Mandello de Mediolano fuit potestas Bononie. Eodem anno dominus inperator Fredericus obsessit civitatem Faventie, et ipsam civitatem, per novem menses obsessam, habuit ad suum dominium: venit enim in vigilia sancti Bartoli mensis augusti, et facta fuit concordia in alio anno, de mense aprilis, et, per ipsam concordiam, stetit exercitus per VI septimanas.... Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, inditione quintadecima, dictus dominus Oddo defensor fuit civitatis Bononie, et dominus Ubertus Vicecomes de Placentia fuit potestas Bononie.

Millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, indictione prima. Dominus Aço de Pirovalo de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno dominus Aço domine Gualdradine revellavit se contra comune Bononie, et intravit rocham Rofeni, et tunc potestas et comune Bononie iverunt in obsidionem dicte roche, et capta fuit dicta rocha per vim et prelium: unde dictus potestas cepit dictum dominum Açonem et alios, qui cum eo erant, et captos fecit eos duci Bononiam, et, in publica contione, condenpnati fuerunt, et tracti ad caudam equorum, et fuerunt[Page 5]

decapitati. Item, eodem anno, mortuus fuit Guiducius de Lanbertaciis, quare tota civitas Bononie fuit ad arma, et Lanbertacii iverunt armati ad domos Lanbertinorum, quare dictus potestas condenpnavit Lanbertacios in quatuor millibus libris Bononie. Postea vero captus fuit dominus Ameus de Soldanis, eo quod ipse fecerat occidi dominum Guiducium de Lanbertaciis, et fuit decapitatus in platea comunis Bononie.

Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, indictione secunda. Dominus Arduinus Confalonarius de Placencia fuit potestas Bononie. Hoc anno facta fuit pax et concordia inter Lanbertacios et Soldanos de mortibus et inimiciis, que fuerant inter eos, et fuit remissa condenpnatio Lanbertaciis de quatuor millibus libris Bononie.

Millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, indictione tertia. Dominus Philippus de Ugonibus de Brixia fuit potestas Bononie. Hoc anno dominus papa fecit concilium generale apud Lugdonem super Rhodanum, et, in ipso concilio, deposuit dominum Fredericum inperatorem. Ipso anno Lanbertacii positi fuerunt in banno comunis Bononie, et eorum tabu[lata et domos fuerunt] destructa.

Millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, indictione quarta. Dominus Oddo Vicecomes de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno fuit factum pallacium novum comunis Bononie. Et Parmenses revellaverunt se domino inperatori.

Millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, indictione quinta. Dominus Guido Vicecomes de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno comune Bononie fecit exercitum supra Bazanum, quod erat castrum Mutinensium, et ipsum castrum ceperunt et destruxerunt, et conbustum fuit totum. Et res Hencius filius inperatoris Federici et dominus Ecillinus de Romano, cum maxima militum quantitate, venerunt usque ad Scoltennam: tamen non fuerunt ausi ire usque ad castrum et exercitum Bononiensium. Et, eodem, militia Bononiensium ivit usque ad Taglatam.

Millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, indictione sexta. Dominus Bonifacius de Cani[Page 6]

de Placencia fuit potestas Bononie. Hoc anno dominus Octavianus cardinalis legatus apostolice sedis, cum comune Bononie, fecit magnum exercitum supra Favenciam, et ita per totam provinciam Romaniola, que primo tenebatur pro domino inperatore, et recuperavit ad mandata ecclesie, et omnes civitates de Romaniola invenit in bono statu: et tunc dicte civitates de Romaniola accipiebant potestates de Bononiensibus. Et tunc fuit destructum castrum Cesene, quod fecerat fieri dominus inperator Fredericus. Et tunc, eo anno, comune Bononie habuit multa castra Mutinensium, scilicet Pançanum, Nonantulam, Sanctum Cesarium et alia plura. Et, eo anno, Parmenses ceperunt Victoriam, quam dominus inperator Fredericus fecerat fieri de novo, et ipsam totam destruxerunt, et omnia spolia et bona, que in ipsa erant, habuerunt. Millesimo ducentesimo quadragesimo nono, indictione septima. Dominus Philippus de Ugonibus de Brixia fuit potestas Bononie. Hoc anno comune Bononie fecit magnum exercitum super Mutinenses apud pontem Sancti Anbroxii, et tunc rex Hencius, filius inperatoris Federici, cum multitudine maxima militum Teotonicorum, Cremonensium, Parmensium, et toto comuni Mutine, exeuntes extra ipsam civitatem Mutine, causa insultandi exercitum. Et sic Bononienses, hoc audito, qui erant in quodam canpo ad faciendum mostram equorum suorum, viriliter elevantes et agredientes predictos, ipsos intra civitatem Mutine et pontem Sancti

Anbroxii insultantes, in fugam eos verterunt, et sconfixerunt eosdem: et tunc captus fuit rex Hencius et maxima quantitas militum et peditum, qui cum eo venerant, et barones multi, et ducti fuerunt capti ad civitatem Bononie. Et, eo anno, postea, iterum comune Bononie fecit exercitum supra Mutinam, cum manganis et aliis edificiis, et iactaverunt, trabucantes in ipsam civitatem asinos in derisum. Eo vero anno facta fuit pax et concordia inter comune Mutine et comune Bononie, et rex Hencius remansit in prexonia comunis Bononie, et stetit per maximum tempus, et in ipsa prexonia obiit.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo, indictione octava. Dominus Riçardus de Villa de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno comune Bononie misit miliciam suam in servicio Parmensium, et fecerunt portari maximam quantitatem victualium propter carastiam, quam Parmenses habebant, et portaverunt eis, usque ad Grostolum, honorifice et potenter. Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona. Dominus Bonifacius de Sali de Brixia fuit potestas Bononie. Hoc anno dominus papa Alexander rediit a Lugdone, veniens per civitatem Bononie, ubi maximum recepit honorem. Eo anno comune Bononie vendidit Medexanum.

Eo anno dominus Iacomellus de Magorittis, qui erat ancianus populi bononiensis, faciendo transitum per porticum Lanbertinorum, occisus fuit per Petriçolum Çançarelli, et hoc fecit fieri dominus Bertolomeus de Baxacomatre.[Page 7]

Millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, indictione decima. Dominus Henricus de Monça de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno comune urbis Rome misit legatos et anbaxatores suos ad civitatem Bononie, rogantes comune Bononie quod mitteret Romam unum probum et electum virum de Bononia pro senatore, qui urbem pacifice gubernaret. Et tunc, in generali consilio comunis Bononie, ad scrutinium, electus fuit senator romanus dominus Branchaleonus de Andalo, qui illuc ivit, et urbem honorifice et potenter rexit quinque annis. Hoc anno obiit dominus Fredericus inperator in Apulia, de mense decenbris, circa festum sancte Lucie.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, indictione undecima. Dominus Petrus Grillus de Genua fuit potestas Bononie et in dicto regimine obiit, et electus fuit potestas dominus Alemannus de la Turre de Mediolano, qui intravit et conplevit illius anni regimen, et comune Bononie fecit fieri cavamentum et naviglum novum. Et eo anno occisus fuit sanctus Petrus Martir de ordine patrum Predicatorum in civitate Mediolani per hereticos.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, indictione duodecima. Dominus Ubertus de Ugine de Mediolano fuit potestas Bononie. Hoc anno civitas Cervie obsessa fuit per comune Bononie, que tenebat pro comuni Veneciarum, et ibi stetit comune Bononie in exercitu usque ad festum omnium sanctorum, et habuit ipsam civitatem Cervie ad suum dominium.

/*

Eo vero anno pars Mendullorum de Imola fuit expulsa a parte Briciorum, et, infra octo dies, statim ançiani et consules comunis Bononie iverunt Imolam, et fecerunt redire partem Mendullorum in civitatem; et tunc comune Imole firmavit et dedit licenciam predictis ançianis et consulibus eligendi potestatem Imole quem vellent, et ipsi elegerunt dominum Ubertum de Ugine, qui erat etiam potestas Bononie. Et erat tunc potestas Imole dominus Facinus de Mandello, qui fuit integre solutus de feudo suo et recessit. Hoc anno rex Corradus, filius inperatoris Frederici, obiit in Apulia de mense decenbris.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, indictione terciadecima. Dominus Riçardus de Villa de Mediolano fuit potestas Bononie, dominus Çordanus de Lucino de Brixia fuit capitaneus populi Bononie primus.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione quartadecima. Dominus Manfredus de Marengo de Alixandria potestas, dominus Bonacurxius de Surixina de Mediolano fuit capitaneus populi. Hoc anno civitas Bononie fuit in magno periculo, et magni fuerunt ibi rumores, dolo et fraude capitanei, qui tractavit et fecit se [eligi] in potestatem anno futuro, contra sacramentum suum, et contra formam statuti comunis Bononie.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, indictione quintadecima. Dominus Bonacurxius de Surixina fuit potestas Bononie, et dominus Gregorius Fridus de Alixandria capitaneus populi Bononie. Hoc anno fuerunt maximi rumores in civitate Favencie, inter partes Acharixiorum et Manfredorum, et amici cuiuslibet partis traxerunt Faventiam, scilicet[Page 8]

de Feraria et de Bononia anbe partes. Et tunc fuit mortuus Rigus [dictus Calçarus] de Manfredis, in prelio in ipsa civitate; postea vero partes ad invicem concordaverunt, et pars Acharixiorum dedit tres obsides parti Manfredorum pro bono pacis et concordie, scilicet Napulionem filium domini Acharixii.... filium domini Çanbraxini et.... filium fratris Gherçii domini Boccacii; qui obsides ducti fuerunt in forciam domini marchionis de Feraria, qui fecit eos duci et poni in castro Guilielmo, et ibi, mala et pessima morte, occisi fuerunt.

Eo vero anno reelectus fuit dominus Branchaleo de Andalo senator urbis Rome, et illuc ivit honorifice et potenter, et ibidem obiit veneno sibi dato.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, indictione prima. Dominus Albertus de Grego de Mantua fuit potestas Bononie, et fuit bonus et comunis potestas, et multos malefactores interemit tempore suo.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, indictione secunda. Dominus Iacobinus Rangonus de Mutina fuit potestas Bononie.

Millesimo ducentesimo sexagesimo, indictione tercia. Dominus Lanfrancus Ususmaris de lanua fuit potestas Bononie. Hoc anno fuerunt magni rumores inter partes in civitate Bononie, in die Pasce Resurrectionis, post prandium.

Millesimo ducentesimo sexagesimo primo, indictione quarta. Dominus Mattheus de Corigio de Parma fuit potestas Bononie.

Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta. Dominus Andreas Geno de Veneciis fuit potestas Bononie.

Millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, indictione sexta. Dominus Iacobus Tavernerius de Parma fuit potestas Bononie. Hoc anno pars Briciorum de Imola fuit expulsa per partem Mendulorum et dominum Petrum Paganum; postea vero comune Bononie venit in exercitum super Imolam, et rediit in comuni, et, dicta occasione, multi ex magnatibus de Bononia fuerunt missi ad confinia, scilicet una pars Pisas, et alia Venecias.

Eo anno mortuus fuit dominus Uguicio de Arientis, quem occiserunt dominus Maghinardus comes de Panici et Goxadini.

Item, eo anno, fuerunt spanate fovee civitatis Imole, de voluntate hominum ipsius civitatis, pro bono et pacifico statu ipsius.[Page 9]

Millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, indictione septima. Dominus Andriolus Geno de Veneciis fuit potestas Bononie. Hoc anno expulsa fuit pars Grisulforum de Mutina per partem Rangonum, et tunc, per comune Bononie et populum, fuit firmatum et iuratum taliter facere quod pars Grisulforum rediret Mutinam, videlicet quod comune Bononie daret eis omnia castra, que sunt in confinibus Bononie et Mutine, in quibus possent stare ad faciendam intrinsecis, si redire nollent, partem exteriorem in Mutina; quod facere noluerunt, immo elegerunt potestatem de Bononia dominum Guidoclerium de Galluciis, qui, contra sacramentum comunis et populi Bononie, ivit ad regimen civitatis Mutine. Et hoc fuit malum initium omnium malorum civitatis Bononie.

Millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, indictione octava. Dominus Guilielminus de Sexo de Regio fuit potestas Bononie. Hoc anno pars Geremiorum de Bononia taliter operata est, quod expulsus fuit de potestaria, et solutus fuit integre de feudo suo, et fuit licenciatus de regimine. Et electus fuit in potestatem Bononie, pro tempore futuro eiusdem anni, dominus Philippus Benignus de Veneciis, qui conplevit regimen dicti anni.

Eo vero anno magna multitudo militum, balistariorum et peditum transivit per Bononiam et Romaniam, cum exercitu domini regis Karoli, in Apuliam.

Millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, indictione nona. Dominus Iohannes Çane de Veneciis fuit potestas Bononie. Hoc anno dominus rex Karolus coronatus fuit in regem Apulie.

Et fuit prelium magnum inter eum et regem Manfredum, et sconfitta fuit gens regis Manfredi, et ipse rex Manfredus mortuus fuit in prelio.

Eo anno Mutinenses extrinseci, scilicet illi de parte Grisulforum, reduxerunt se in castrum Montisvallarii, et intrinseci Mutinenses fecerunt exercitum supra eos, et tantum tempus steterunt in obsidione, quod, propter carastiam maximam aque, que defecit eis, reddiderunt castrum, salvis personis eorum; et destructum fuit castrum predictum.

Millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, indictione decima. Dominus Çaninus Dandolus de Veneciis fuit potestas Bononie. Hoc anno dictus potestas fuit solutus de feudo suo et expulsus de potestaria propter potentiam partis Geremiorum de Bononia. Et societas calçolariorum de Bononia posuit ignem in pallacio comunis Bononie, eo quod quidam de ipsa societate captus erat in pallacio predicto, pro quodam maleficio, quare volebant ipsum datis fideiussoribus, et potestas nolebat. Et sic, expulso illo potestate, electi fuerunt dominus Rech de la Turre de Mediolano potestas, dominus Guidestus de Ponte Carario capitaneus populi Bononie, qui compleverunt regimen dicti anni.

Millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, indictione undecima. Dominus Rech de la Turre de Mediolano potestas fuit Bononie, dominus Guidestus de Ponte Carario capitaneus populi Bononie. Hoc anno filia ducis Bergogne, sponsa regis Karoli, cum maxima gente, fecit[Page 10]

transitum per Bononiam et Romaniam, et comune Bononie duxit ei obviam carogium copertum de scarlatto et boves copertos de scarlatto, qui eum duxerunt usque ad pontem Reni cum trunbis, cenamellis, tanburris et aliis instrumentis, faciendo inclinari perticam carocii ipsi regine, quando fuit prope eam. Et, super ipso carocio, erat dominus Castellanus de Andalo, cum multis aliis de maioribus Bononie.

Eo vero anno Coradinus filius regis Conradi movit de Alamania, cum gente maxima, et ad eum venerunt multi barones et magnates Italie, qui sociaverunt eum usque ad introitum Apulie. Sed rex Karolus, volens obsistere sibi in bello, ipsum Coradinum et multos magnates cepit, et devicit eius exercitum: postea vero fecit eum decapitari, et ducem de Asturich et alios multos, quos ceperat cum eodem.

Eodem anno dominus Caçanimicus filius domini Alberti de Caçanimicis occisit dominum Guidonem Paltenam suum verum consanguineum. Et dominus Albertus Caçanimicus senper dicebat ei: "Da ei, et occide eum". Et, dicta occasione, dictus dominus Albertus condenpnatus fuit in duobus millibus libris bononiensibus. Et dominus Caçanimicus fuit positus in banno comunis Bononie.

Millesimo ducentesimo sexagesimo nono, indictione duodecima. Dominus Albertus de Fontana de Placencia fuit potestas Bononie, dominus Riçardus de Villa de Mediolano capitaneus populi Bononie; qui capitaneus fuit expulsus per forciam et potentiam partis Geremiorum, nam bene et legaliter ac comuniter suum regimen faciebat. Et electus fuit in capitaneum populi, pro dicto anno, dominus Henrigittus Gonfalonarius. Et hoc anno, in die kallendarum ianuarii, in publica contione, rumor maximus elevatus fuit contra dictum dominum Albertum potestatem, et multi lapides proiecti fuerunt contra eum, et hoc fieri fecit dominus Comacius de Galluciis; et tunc fuit magna discordia inter Gallucios et Lanbertinos, occasione potestarie de Forlivio.

Millesimo ducentesimo septuagesimo, indictione tercia decima. Dominus Guido de Corigio de Parma fuit potestas Bononie, dominus Henrigittus Gonfalonarius de Placencia capitaneus populi Bononie. Hoc anno comune Bononie fecit exercitum in loco, ubi dicitur Primarium, supra ripam Paudi, in litore maris, et ibidem fecit edificari castrum Prumarium contra voluntatem

Venetum; et erat tunc festum omnium sanctorum.

Millesimo ducentesimo septuagesimo primo, indictione quartadecima. Dominus Lanfranchinus de Maloxellis de Ianua potestas, dominus Anselmus de Rivola de Bergamo capitaneus populi Bononie. Hoc anno dominus Philippus rex Francorum rediit de ultramare, veniens per civitatem Bononie.

Eo anno multa bona ordinamenta facta fuerunt, per populum Bononie et ipsos potestatem et capitaneum, contra malefactores.[Page 11]

Eo anno destructum est castrum Savignani per comune Bononie, quod erat citra Scoltemam, secundum pacta facta inter comune Bononie et comune Mutine, tempore pacis facte.

Eo anno comune Veneciarum tenebat multam gentem, ex adversa parte Paudi, ad danpnum et lesionem castri Prumarii; unde aliqui de populo Bononie, transeuntes ultra Paudum insultantes predictos, sconfixerunt eos, et omnia eorum edificia et manganos destruxerunt et igni cremaverunt, et multa eorum Venetum insignia et confalones habuerunt, et Bononiam portaverunt.
/*

Millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, indictione quintadecima. Dominus Luchittus de Cataluxiis de Ianua fuit potestas Bononie, dominus Bonacurxius de Lançaveclis de Alixandria fuit capitaneus populi Bononie.

Eo anno obiit rex Hençius filius condam Frederici inperatoris, qui fuerat carceratus Bononie per magnum tenpus, [et, per comune] Bononie, fuit indutus de scarlato et varis, et, cum maximo honore, portatus ad ecclesiam sancti Dominici fratrum Predicatorum, et ibidem sepultus fuit honorifice.

Eo anno fuit extractus lapis de muro palatii comunis Bononie propter potenciam partis Geremiorum, in quo lapide continebantur que pacta, facta inter comune Bononie et comune Mutine tenpore pacis, deberent observari; et extractum erat carocium in platea comunis Bononie, dicta occasione, quod tunc, turpiter et cum maximo vituperio, fuit reductum in ecclesia beati Petri. Et hec facta fuerunt propter potenciam partis Geremiorum, qui tunc quasi dominabant in civitate Bononie, et fuit culpa et dolo dicti potestatis et Cervi de Boateriis, qui erat tunc gonfalonerius carocii. Et, dicta occasione, multa mala surrexerunt in civitate Bononie.

Millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, indictione prima. Dominus Guidestus de Ponte Carario de Brixia fuit potestas Bononie, dominus Iacobus Amorottus de Lançaveclis de Alixandria fuit capitaneus populi Bononie.

Hoc anno, de mense madii, comune Bononie fecit exercitum super civitatem Forlivii, et duravit per sex septimanas. Et dominus Hodoardus rex Anglorum, rediens de ultra mare, venit per illud exercitum, et in eo multos milites novos fecit de pluribus civitatibus, Bononie et Romaniole, et voluit conponere inter comune Bononie et comune Forlivii, sed non potuit; non tamen hoc stetit per comune Forlivii, neque per partem Lanbertaciorum, sed pars Geremiorum noluit pacem facere: postea comune Bononie rediit domum, [et, de] consilio malorum, facta fuit reformacio de exercitu faciendo anno sequenti.[Page 12]

Millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda. Dominus Guilielmus de Posterla de Mediolano fuit potestas Bononie, dominus Marchus Iustinianus de Veneciis fuit capitaneus populi. Hoc anno fuerunt magni rumores et prelia inter partes civitatis Bononie, et expulsa fuit pars Lanbertaciorum extra Bononiam; et, postea, predicti potestas et capitaneus expulsi fuerunt de regimine ipsorum, et soluti de eorum salario integre, et electus fuit potestas dominus Rolandus Putacius de Parma, et conplevit regimen anni illius.

Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia. Dominus Nicholittus de Hesio fuit potestas Bononie; dominus Malatesta de Veruclo de Arimino fuit capitaneus populi.

Millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indictione quarta. Dominus Riçardus de Belvaxe de Francia fuit potestas Bononie, quem dedit eis dominus rex Karolus, qui potestas in ipso regimine obiit, et electi sunt, in illo millesimo, dominus Rolandus de Lasenaça de Parma potestas, dominus Garxindoneus de Luvixinis de Regio capitaneus populi. Hoc anno fuit mortuus Bonfantinus de Baxacomatre, in strata publica strate sancti Stephani, de die, et hoc fieri fecit Thomaxius de Becadellis, et de hoc multum damnum substinuit a comuni Bononie, eo quod ipse Bonfantinus erat in banno comunis pro maleficio.

Item, hoc anno quatuor pape mortui sunt, duo divino iudicio, et alii duo veneno eis dato.

Item, eo anno mortuus fuit dominus Caçanimicus filius domini Alberti de Caçanimicis, veniendo a Feraria.

Anno eodem, de mense maii, honorabilis comes dominus Ursus de Mangone capitaneus partis Lanbertaciorum Faventie commorancium, cum Bononiensibus et Imolensibus et Faventinis intrinsecis, equitavit versus Imolam subtus stratam, usque ad Selexem, prope Imolam per duo milliaria; et sic occurrerunt quidam milites illorum de Imola, qui equitaverant versus Sanctam Agatham, et fecerant magnam predam, cum qua gaudentes Imolam veniebant, propter quod eorum gaudium conversum est in tristiciam et dolorem; nam, visis illis, qui a civitate Faventie venerant, statim predam eorum relinquentes, volentes se defendere, nequiverunt, sed sconfitti et mortui fuerunt ibidem in pratis, ubi dicitur Taviani, scilicet LX mortui, et XXV capti et conducti Faventiam; boves autem et predam totam et equos eorum reliquerunt, ipsos Favenciam conducentes.

Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, indictione quinta. Dominus Rolandus de Lasenaça de Parma fuit potestas Bononie, dominus Garxindoneus de Luvixinis de Regio capitaneus populi.[Page 13]

Hoc anno obiit dominus papa Iohannes vigesimus primus, divino iudicio Domini nostri, existente in camara sua, que erat in volta quadam facta in pallacio pape, in civitate Viterbii; et sic, stando ipso solo in ea, cecidit camara, et neminem alium offendit.

Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, indictione quinta. Dominus Stuldu de Florencia potestas Bononie, dominus Manfredus de la Rosa de Mutina capitaneus in ultimis sex mensibus. Hoc tempore, die XVIII mensis iulii, dominus Napulionus de Toronello, Fuscus de Monte Auliveto, et bene LX cavalcatorum de Faventia moverunt et equitaverunt ad Saxadellum, causa accipiendi castrum predictum; et, cum non potuissent accipere, retro terga vertentes, audientes pulsari canpanas de Toronello ad strermitam et sturmum, illuc traxerunt, et invenientes Ranbertum de Toronello cum quibusdam aliis equitibus ibidem, qui cum eo traxerant, videntes magnam quantitatem militum de maxenata, que stabat Imole, Francixenorum, qui erant L eques cum insignis, trunbis et tanburello, et post eos erant alii bene CC equites, qui iam venerant usque prope ecclesiam de Toronello, et tunc ipse Ranbertus cum sua gente viriliter expectans eos, venerunt predicti insultantes eos, dicentes: "Vos male venistis, patareni ghibellini", et sic ceperunt invicem preliari: et, cum Napulionus et Fuscus et alii, qui cum eis erant, fuerunt ad locum illum, videntes illos, fortiter clamaverunt: "A luro ! A luro"! Unde illi de Imola, visis insigniis eorum, incontinenti vertentes terga, ceperunt fugam, et fuerunt in magno conflictu, ita quod, ex illis de illa maxenata franciscena, mortui fuerunt gladio XXII, de melioribus, qui essent in ea, et XX equi mortui fuerunt, et XV ceperunt, et Faventiam conduxerunt in prexoniam.

Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, indictione sexta. Dominus Manfredus de la Rosa potestas; dominus Stultus de Florencia capitaneus Bononie. Hoc anno illustris et magnificus vir dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus comunis Forlivii, cum maxenata et milicia dicti comunis et cum manganis et aliis edificiis, iverunt hostiliter, viriliter et potenter ad Ranclam, eo quod illi de dicto castro revelaverant se dicto comiti et comuni Forlivii, et dederant illud domino Rodulfino de Ganaçese et dominis de Valbona; et ibidem fixerunt albergarias die XXII marcii, et, die mercurii tunc sequenti XXIII marcii, illi de ipso castro venerunt ad mandata dicti domini comitis et comunis Forlivii, et reddiderunt eis castrum illud, salvis eorum personis.

Infrascripti sunt versus conpilati per prudentem virum dominum Thomaxium iudicem filium condam domini Laurentii iudicis de Faventia, de iudicibus et advocatis civitatis Faventie, et ab honorem ipsorum.[Page 14]

Beltalem decorant ius, leges, copia morum,
Quem timuit, timet et chorus omnis causidicorum;
Sed quoniam strepitus nunc iuris et arma veretur,
Egregius miles ut Scevola noster habetur.
Laurenti, lauris velut alge digne iacintus,
Exterius prestans sensuque potentior intus,
Urbs tua te colit; hinc abstande, memento Catonis,
Fac bene crescat ea cunctis diadema patronis.
Egidius iudex parvus, sed pectore largus,
Magnis consiliis, animi quoque visibus Argus,
Eloquio iuris nectar sapit, aflat odore,
Quam valeant ferri res est fecundior hore.[Page 15]

Dominus Caçanimicus d. Alberti Caçanimici, dominus Gruamonte de la Fracta fuerunt potestates M.CC.LXX. Et, eo anno, facta fuit et constructa arengheria in platea comunis Faventie; et scala, per quam ascendebatur supra palacium, que erat in platea comunis, fuit destructa, et turris comunis fuit elevata. Et, eo tempore, comune Bononie fecit castrum apud Primarium in hodium Venetum.

Dominus Iacobus de Prendipartibus, dominus Ribaldus de Fuscardis fuerunt potestates M.CC.LXXI. Et, eo anno, facte fuerunt turres portarum civitatis Faventie alique. Qui dominus Iacobus fecit destrui domum domini Guidonis Acharixii.

Dominus Guidoclerius filius d. Petri Henrici, dominus Aigonius de Sturlittis fuerunt potestates M.CC.LXXII. Et, eo tempore, comune Faventie fecit edificari castrum Gallucium supra quodam poço, quod domini comites de Mutilliana tenebant, et dicebant esse suum; quare dicti comites, cum eorum exforcio et cum comune Forlivii, quod iuvabat eos, venerunt in exercitum supra dictum castrum Gallucium, unde, tractata concordia, comune Faventie rediit Faventiam, et dictum castrum fuit destructum.

Dominus Beccadinus de Artinixiis, dominus Mixotus de Ursis fuerunt potestates M.CC.LXXIII. Et, eo anno, tempore domini Beccadini predicti, comune Bononie, cum vellet dare potestates castris comitatus et districtus Forlivii, secundum quod eligebantur in consilio comunis Bononie, et comune Forlivii noluit recipere, fecit exercitum generalem super civitatem Forlivii, de mense madii. Et duravit exercitus XXXVI diebus, in quibus exercitus stetit super Forlivium et in eius districtu. Et tunc, in ipso exercitu, fuerunt amici partis Geremiorum de[Page 16]

civitatis Lonbardie, Tuscie et Romaniolae. Et dictus exercitus non placuit parti Lanbertaciorum de Bononia; sed, propter magnam potentiam, quam tunc habebant illi de parte Geremiorum, non poterant eis resistere. Sed, demum, illi de parte Lanbertaciorum, quorum capud et dux erat dominus Castellanus de Andalo, concordaverunt cum Forliviensibus, et promiserunt se iuvare ad invicem. Et tunc transivit per dictum exercitum dominus Odoardus et uxor eius, qui voluit facere concordiam, et non potuit. Et fecit in ipso exercitu multos milites novos, et etiam in civitate Faventie et Bononie. Et tunc, in quadam bataglola parva, fuit occisus Aimericus filius domini Nicolai domine Dotte, qui vocabatur Tusighinus, et in alia fuit occisus Gerardus Calamatonus, et captus fuit tunc dominus Barufaldinus de Sturlittis et ductus in civitate Forlivii; sed nullum impedimentum recepit, et rel[axatus fuit honorifice]. Item, dicto anno, tempore domini Mexotti de Ursis, dominus Guido Acharixii et dominus

Maghinardus filius domini Petri Pagani de Sosenana fecerunt edificari unam tumbam apud Galisternam, in odium illorum de Saxadello, propter quod Alberghittus de Manfredis, cum toto suo exforcio, ivit in auxilium dictorum de Saxadello, causa destruendi dictam tunbam; et sic amici Acharixiorum iverunt illuc pro defensione ipsius, conquerentes fortiter quod Manfredi fregerint pacem Acharixiis. Et tunc bene defenderunt dictam tunbam; sed cum, quodam die mercurii quarto aprilis, Bonifacius de Sosenana et Paganinus filius domini Petri Pagani, cum aliquibus suis amicis, venirent ad dictam tunbam, causa iuvandi illos, qui erant in ea, et dum fuerunt in quodam loco, supra terenellum in quodam poço, occurrerunt illi de Saxadello insultantes eos. Et contigit quod dictus Bonifacius et Paganinus vulnerati fuerunt, ita quod mortui sunt, et plures alii mortui fuerunt et vulnerati, qui cum eis erant, propter quas causas rumores multi fuerunt in civitate Faventie, ita quod per contratas erant et facta fuerunt seragla, ad hoc ut una pars non posset [cur]rere nec offendere alteram. Et Faventini servabant et portabant res eorum mobiles ad ecclesias, ad hoc ut salve essent eis, et apud domos fratrum Minorum et Predicatorum et locum sancte Perpetue, et super voltas ecclesie sancti Petri, ubi multum sunt res secure.

Dominus Uguignonus de Titalasinis fuit potestas Faventie M.CC.LXXIV. Et stetit in dicto regimine mense ianuarii, februarii et martii, et de mense aprilis XVIII diebus. Nam tunc tenporis, magna discordia fuit in civitate Bononie inter illos de parte Lanbertaciorum et illos de parte Geremiorum, et prelia magna et multa fuerunt per contratas civitatis Bononie,[Page 17]

et seragla magna et alta et domus armate et turre. Et duraverunt dicta prelia bene per duos menses et ultra.

Et quelibet dictarum partium mittebat pro amicis suis undecunque et ex omni parte. Quare comune Forlivii, cum toto suo exforcio, movit de civitate Forlivii, causa eundi versus civitatem Bononie in auxilium partis Lanbertaciorum. Et, cum fuerunt, die mercurii XVIII mensis aprilis, supra burgum Durbecchi, volebant intrare civitatem Faventie, et illi de parte Manfredorum non permiserunt; unde Forlivienses, milites et populares et totum eorum guarnimentum, castrametati fuerunt supra flumen Alamonis iuxta renaçium Faventie, et ibidem steterunt ipsa nocte. Et, in mane diei iovis sequentis, perexerunt super flumen Marçani, et transitum fecerunt, perveniendo ad pontem Archus supra flumen Alamonis. Illi vero de parte Acharixiorum iverunt oviam eis, conducentes eos in civitatem Faventie, per portam Montanariam intrantes.

Et, ipsa nocte et die, illi de parte Manfredorum recesserunt extra civitatem Faventie, tam populares quam milites, ita quod nullus omnino remansit neque inventus fuit in ipsa civitate, dicta die iovis, qui esset de parte Manfredorum. Et tunc comune Forlivii et illi de parte Acharixiorum inceperunt munire et inforciare civitatem Favencie, et facere foveas et stecatas; postea comune Forlivii, cum guarnimento eorum, iverunt usque ad castrum Sancti Petri, et ibi steterunt aliquot diebus, et erat cum eis dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus: demum redierunt Forlivienses, die mercurii XXV mensis aprilis predicti, et, in eorum reditu, intellexerunt quod illi de parte Manfredorum, qui exiverant de civitate Faventie, faciebant guarnimentum apud quoddam castrum, quod vocatur Solarolum, causa veniendi versus Faventiam. Et sic illi de parte Acharixiorum, qui erant cum Forliviensibus, et etiam ipsi Forlivienses equitaverunt versus Solarolum, et ceperunt dictum castrum, et omnes, qui in ipso castro fuerunt inventi, cum rebus, equis et spoliis infinitis. Et tunc, ipsa die, mortuus fuit ibidem dominus Beltalis iudex. Et capti fuerunt frater Albericus de Manfredis, Gerardinus de Meço, frater Rodulfus de Regatis, frater Guido Thomai, Manfredus de Marçanensibus,[Page 18]

Ugo Pedonus de Bagno, Philippus Cagnolus. Et multi alii de parte Manfredorum fuerunt capti et ducti Forlivium, ubi steterunt in prexonia per duos annos et plus. Sed, occasione cuiusdam tractatus pacis, et concordie facte inter Ravennates et Cesenaticos et comune Forlivii, relaxati fuerunt.

Et tunc illi de parte Acharixiorum, qui habebant dominium civitatis Faventie, elegerunt duos potestates de civitate Forlivii, qui intraverunt potestariam et regimen civitatis Faventie die sabati XXI mensis aprilis predicti. Et fuerunt potestates, per unum annum, dominus Superbus de Argoglosiis, dominus Tebaldus de Ordelaaffis, simul et semel uno anno.

Et, eo anno, in die mane festivitatis sancti Iohannis Evangeliste, que est immediate post festum Nativitatis Domini, inventus est mortuus in camara dominus Iacobus de Petrella episcopus faventinus, quem suffocaverunt familiares sui. Eo vero anno multa et magna prelia fuerunt, in civitate Bononie, inter illos de parte Lanbertaciorum et illos de parte Geremiorum, et multi homines fuerunt ibi mortui, et incendia magna per civitatem Bononie facta et posita ad domos. Demum, quodam die sabati secundo intrante iunio, illi de parte Lanbertaciorum, timore guarnimentorum, que venerant in auxilium Geremiorum de civitate Ferarie et Mutine et per comitatum Bononie, aufugierunt et exierunt.

Eo vero tenpore, illi de parte Lanbertaciorum de Bononia, Imola et Bagnacavallo, qui erant et habitabant in civitate Faventie, fecerunt comune ad invicem, et elegerunt potestates et capitaneos guerre, et fuit eorum capitaneus dominus Guilielminus de Paçis Valdarni, miles nobilis atque valens.

Et, quodam die mercurii VII exeunte aprili, sub annis Domini M.CC. LXXV, idem dominus Guilielminus capitaneus, cum ducentis equitibus, minus XV de Bononia et Imola, et cum CCC peditibus male armatis, ivit ad castrum Solaroli, causa capiendi et danpnum faciendi ibidem. Et, eodem die, milites de parte Geremiorum de Bononia, cum toto eorum exforcio, et cum domino Malatesta de Arimino, qui erat tunc eorum capitaneus, et cum Faventinis extrinsecis, equitaverunt versus Faventiam, et venerunt usque ad pontem Sancti Çuliani, ad unum seralium, quod Faventini intrinseci fecerant ibidem. Et illi, qui tenebant civitatem Faventie, pedes et eques plurimi, iverunt usque ad dictum seralium de Sancto Çuliano,

causa defendendi dictum seralium, quod facere nequerunt; nam illi de parte Geremiorum, cum aliis, qui cum eis erant, per vim et armata manu, aperuerunt seralium et intraverunt, facientes retrocedere Faventinos intrinsecos; et tunc mortui fuerunt ibidem, in strata, de Faventia et de aliis, qui habitabant Faventiam, XL homines de populo, et ex hoc fuit magna turbatio et timor Faventie.

Eodem vero die mercurii, dominus Guilielminus capitaneus partis Lanbertaciorum, audito quod milites de Bononia, cum eorum exforcio, venerant Faventiam, quamcicius potuit, cum suis militibus et peditibus, quos secum duxerat ad Solarolum, venit ad pontem Sancti Proculi, et[Page 19]

intravit intra pontem versus plebem Sancti Proculi, et cepit facere frangi pontem predictum, nec potuit; sed accepit currus et posuit eos ex transverso pontis, faciendo serraglum supra eo; et sic, dum dictus d. Malatesta rediret cum milicia sua et peditibus, quos secum habebat, idem dominus Guilielminus, cum suis se opponens in transitu, cepit prelium cum eisdem. Et accidit quod dictus dominus Malatesta et sui milites, qui erant in quantitate mille VIII. milites, in fugam conversi sunt. Et aufugerunt, et sic mortui sunt ibi plus quam CCC, et capti bene ducenti et ducti in prexonias civitatis Faventie, inter quos mortuos fuit d. Ugolinus de Tebaldis, d. Iacobinus de Beccadellis, d. Rodulfus Pacis, et multi alii de populo grasso de Bononia, de parte Geremiorum. Capti vero fuerunt d. Guidoclerius de Galluciis, Guilielmus d. Catelani domine Hostie, et multi alii de bonis et melioribus de populo grasso de Bononia, de dicta parte Geremiorum. Dominus vero Albergittus de Manfredis fuit suppeditatus ab equis, taliter quod fuit portatus Imolam, et multis diebus in lecto iacuit, et mortuus est.

Dominus Maghinardus de Sosenana fuit potestas Faventie in anno M.CC.LXXV. Et intravit regimen die primo mensis madii.

Eo anno, die veneris VII mensis iunii, Bononienses intrinseci, scilicet illi de parte Geremiorum, qui tenebant Bononiam, cum eorum exforcio de Lonbardia et Tuscia, et Faventini extrinseci et Imolenses intrinseci venerunt ad exercitum faciendum, et castrametati fuerunt apud pontem Sancti Proculi, a latere sinistro fluminis Senni.

Die vero sabati sequenti fecerunt guastum citra pontem versus Faventiam, supra stratam, spanando fossata, incidendo vineas et bladum, usque ad horam tercię et ultra parum.

Die vero dominico sequenti, eodem modo, venerunt ad guastum faciendum in eadem contrata, eundo usque ad villam, que vocatur Cella Montisclarii, et steterunt usque ad horam none, et reversi fuerunt ad exercitum.

Die vero lune sequenti equitaverunt ad Blancanigum et ad Serram, et incenderunt multas domos, et inciserunt vineas et arbores et bladum infinitum.

Die autem martis tunc sequenti venerunt ad castrum Taibani, et preliati sunt ad ipsum castrum, et multi ex eis vulnerati et mortui fuerunt a balistis, que erant in ipso castro, et tunc inciserunt pinum, quod erat iuxta ipsum castrum, et, post horam none, recesserunt ad exercitum eorum.

Ipsa itaque die martis d. Guilielminus capitaneus partis Lanbertaciorum Favencie commorancium, et d. Maghinardus de Sosenana potestas Faventie, cum tota eorum milicia de civitate Faventie, exiverunt per portam Imolensem, armati, et cum eorum insigniis et suprainsignis et equis copertis, et iverunt usque ad Sanctum Çulianum, et, supra circlam communis Faventie, supra stratam, fecerunt unam pulcram aciem militum, causa ostendendi se illis de exercitu, ad hoc ut, ipsorum timore, ipsi separarent se a castro Taibani, et ut illi de ipso castro reciperent confortacionem et magis starent securi. Et sic, quando illi de exercitu viderunt eos, recesserunt abinde et iverunt ad eorum tenptoria.

Postea vero, die mercurii tunc sequenti, in mane, predicti de exercitu venerunt cum eorum guastatoribus, qui erant sine numero, destruendo, incidendo et splanando iuxta collum montane, usque ad monasterium sancti Prosperii, et tunc spanaverunt de canali comunis[Page 20]

Faventie, quod est super stratam Montanariam, in pluribus locis, et inciserunt de clusa comunis Faventie, et optime ostenderunt se, tam milites quam populares. Nam habebant tres magnas acies militum, et unum trepellum grossum de melioribus et maioribus, qui essent in exercitu, et duas magnas acies popularium, absque guastatoribus; post nonam vero dicti diei, reversi fuerunt ad canpum et tendas eorum. Ipsa vero die et singulis precedentibus diebus, cotidie, dictus dominus Guilielminus capitaneus et d. Maghinardus potestas, cum multis ex eorum militibus et cum aubaxiatoribus de Forlivio, exhibant civitatem Faventie, causa supervidendi illos de exercitu. Et sic, ipsa die mercurii, anbaxiatores partis Lanbertaciorum et comunis Favencie iverunt ad civitatem Forlivii, causa rogandi comune Forlivii ut veniret Faventiam cum guarnimento, quod ibi erat.

Die itaque iovis XIII intrante mense iunii, circa horam medie tercię, dominus comes Guido de Montefeltro, qui erat capitaneus generalis guerre totius Romanie pro parte Lanbertaciorum, et illustris vir d. comes Guido Novellus, et Manfredus eius filius, et comites Bandinus, Tancredus, Rogerius, et Tigrinus filii d. comitis Guidonis de Mutilliana, cum eorum apparatu magnifico et potenti, et comune Forlivii, tam milites, quam populus universus civitatis et districtus ipsius, et eorum optima maxenata in quantitate militum sexcentorum proborum virorum, et exteriores de Ravenna, de Arimino et Cesena, et multi alii, qui venerant ad civitatem Forlivii ipsa occasione, venerunt omnes ad civitatem Favencie. Et, in hora tercię omnes homines, tam milites, quam populares, quotquot erant in civitate Favencie, exceptis illis, qui pro custodia ipsius civitatis fuerant deputati, exiverunt civitatem Favencie cum predictis comitibus et comuni Forlivii, et his, qui cum eis erant, scilicet omnes milites per portam Ravignanam, et populus totus per portam Imolensem, euntes ex transverso canporum subtus stratam, versus Sanctum Petrum in Laguna, ubi dicebatur quod Bononienses de parte Geremiorum, cum eorum sequacibus, erant. Et sic, dum pervenerunt iuxta locum, ubi dicebatur Trentola et Casella, iuxta flumen Senni, desuptus pontem Sancti Proculi, una de aciebus

militum dictorum Geremiensium transivit pontem Sancti Proculi. Alie vero due acies militum remanserunt. Cum vero viderunt acies militum de parte Lanbertaciorum et de Faventia ire versus eos, et etiam aciem de maxenata Forliviensium, incontinenti terga vergentes, in fugam conversi sunt, et sic debellati, prostrati et victi et mortui fuerunt, et multi etiam ex eis in flumine suffocati. Et tunc populus de Bononia, qui erat cum gonfalone carocii, stantes iuxta stratam, inter hospitale Ronchodoxii et quandam tunbam Bonaventure Gotosii, fuerunt circumdati a popularibus de Favencia et de parte Lanbertaciorum et a Forliviensibus. Et cum ipso gonfalone erant VII gonfalones societatum de populo Bononie, et ibidem, in canpo, maximum[Page 21]

prelium commiserunt. Tandem dictum gonfalone carocii fuit depositum et destructum, et sconfitti fuerunt omnes, qui erant cum eo, et capti et mortui pro maiori parte, ita quod inter milites et populares, tot mortui fuerunt, in dicta sconfitta et ipso die, quod fratres et alie religiose persone, que sepellierunt eos, dixerunt quod ultra triamillia fuerunt mortui, ipsa die in dicto conflictu, de illis de parte Geremiorum, et qui cum eis erant in dicto exercitu, absque suffocatis in flumine Senni. Capti vero, et ducti Faventiam, fuerunt bene trecenti. Et tunc alii, qui evaserant dictum conflictum, ascenderunt pontem Sancti Proculi, defendentes ipsum pontem cum lanceis et balistis, tenentes eum quousque comune Forlivii et Faventini et illi de parte Lanbertaciorum et omnes, qui cum eis venerant, Faventiam redierunt: et hec omnia fuerunt dicta die iovis XIII intrante iunio. Postmodum vero, in nocte sequenti, rumor magnus insonuit in civitate Faventie, scilicet quod illi de exercitu recesserant et reliquerant omnia spolia et tentoria et travachas; quare Faventini et Forolivienses et omnes, qui erant in civitate Faventie, mares et etiam femine infinite, iverunt ad exercitum, invenientes currus ponderatos pane, vino, annona, carnibus, tentoria, travacchas, tendas, pecunias infinitas et omnia paramenta exercitus; et ipsa omnia habuerunt, et Faventiam portaverunt.

/*

In quo quidem supradicto conflictu mortui fuerunt, de magnis et nobilioribus de Bononia, de parte Geremiorum, scilicet d. Nicholaus de Baçaleriis, d. Rigucius de Galluciis, d. Thomaxinus de Riosti, d. Ugo linus Çanboni doctor legum, d. Nicholaus de Tencarariis iudex, d. Sovranus de Stupa, dominus Lanbertinus Pacis, d. Ceveninus de Çovençonibus et duo sui filii, dominus Lanbertinus Piçella, dominus Ugonittus de Garixindis, d. Guilielmus de Malavoltis, d. Franciscinus de Ducia, d. Pirulinus domine Hostie, d. Albertus de Sala, d. Albertus d. Caçe et Bertolomeus de Baxacomatre, et alii infiniti.

Item, eodem anno, die sabati penultima mensis iunii, comune Forlivii, cum domino comite Guidone de Montefeltro et cum militibus de Faventia et de parte Lanbertaciorum Faventie commorantium, equitaverunt versus Cerviam, et ipsam civitatem Cervie habuerunt, die dominico ultimo mensis iunii predicti, ad eorum voluntatem et dominium. Castrum vero inperatoris, quod erat in ipsa civitate Cervie, habuerunt die martis postea sequenti, II die mensis iulii, cum omnibus rebus, balistis comunis Bononie, que erant in eo castro, et blado. Custodes vero de Bononia, qui erant in eo castro, recesserunt per aquam, salvi in eorum personis et rebus, quas portare potuerunt.

Item, eodem anno, die dominico primo septenbris, dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus generalis totius guerre in Romania, et milicia et populus civitatis Forlivii, cum eorum stipendiariis, equitaverunt versus civitatem Cesene, euntes ad quoddam castrum nomine vocatum Reversanum, quod est super Cesenam per tria millaria, et, per vim et prelium, intraverunt dictum castrum. Sed cum dominus Malatesta, qui erat Cesene, et alii de Cesena hoc audiverunt, incontinenti milites et pedites de Cesena occurrerunt ad castrum predictum, ibidem magnum prelium committendo. Demum, hiis durantibus, ecce quod occurrerunt[Page 22]

d. Guilielminus de Paçis capitaneus partis Lanbertaciorum et sui milites et milites de Faventia, et, incontinenti, prelium inceperunt cum ipso domino Malatesta et gente sua de Cesena, ita et taliter quod ipse dominus Malatesta aufugit, cum multitudine gentis sue, versus Cesenam. D. vero Galaottus de Lanbertinis de Bononia, qui tunc erat potestas Cesene, et d. Rodulfinus de Ganaçese, cum multis aliis de Cesena, fugierunt, scanpantes in roccam dicti castri Reversani; unde in continenti comune Forlivii, cum omnibus, qui ibidem erant cum eo, circumdantes ipsam roccham, ceperunt facere edifica et castellos de lignamine altos et magnos ad preliandum ipsam roccham. Et sic illi, qui se reduxerunt in eadem, tractantes conventionem et pactum, venerunt ad mandata comunis Forlivii, et ex illis, qui erant in ipsa roccha, fuerunt capti XXV de melioribus et maioribus de Cesena, tam de militibus quam de popularibus, inter quos fuerunt d. Galaottus de Lanbertinis potestas Cesene, d. Rodulfinus de Ganaçese et unus ex filiis eius et gener eius, d. Guido de la Tunba et nepos eius, et quidam alii, in quantitate XXV, capti fuerunt et ducti ad civitatem Forlivii, die martis III septenbris. Alii vero omnes, qui erant in ipsa rocca ultra quam mille, relaxati fuerunt de gratia speciali, et, cum eorum armis, remissi Cesenam, et hoc fuit die lune II septenbris; ob quam causam incontinenti tractatus factus de concordia inter comune Forlivii et Cesenates, et completa fuit concordia die mercurii tunc sequenti, et facti fuerunt potestates Cesene dominus Argoglosius de Argoglosiis et Thedericus de Ordelaaffis de Forlivio; et dominus Raule de Maçolinis, cum omnibus amicis suis, qui steterant extra Cesenam, redierunt in civitatem Cesene, et dominus Ranucinus Pocaterre, cum omnibus suis amicis, qui cum eo steterant extra Cesenam.

Eodem vero anno, die lune ultima mensis septenbris, dominus Guilielminus de Paçis capitaneus partis Lanbertaciorum de Bononia et suorum sequacium, cum militibus et peditibus suis, et d. Maghinardus de Sosesana potestas Faventie, cum milicia et populo suo, equitaverunt ad quoddam castrum vocatum Serravalle in Valdeseno, quod castrum erat Manfredi de Manfredis de Faventia, et, per vim et prelium, ceperunt eundem, conburentes et devastantes ipsum castrum, in quo erat magna multitudo bladi, quod fuit exportatum Faventiam;

aliud vero, quod portari non potuit, fuit igne crematum, et homines et res et bestie, que invente fuerunt in ipso castro, fuerunt portate et ducti Faventiam. Item, die iovis III mensis octubris, predicti domini, et milites et populares predicti Faventie commorantes, equitaverunt in dictam contratam de Valdeseno, ad quedam castra et fortificias supra castrum Saxadelli, et ceperunt unum castrum nomine Saxum, et quandam tunbam ibidem edificatam, et destruxerunt eos, et multos homines et res et bestias habuerunt, Faventiam conducentes.

Dominus Maghinardus de Sosenana factus fuit potestas Faventie pro duobus mensibus, scilicet pro mense novenbris et pro mense decenbris eiusdem anni.

Item, die primo mensis novenbris eiusdem anni, venerunt ad civitatem Faventie d. Guilielmus ferariensis episcopus, apostolice sedis legatus, et cancellerius et legatus domini comitis Rodulfi Romanorum regis electi in inperatorem, quorum oviam iverunt omnes milites Faventie commorantes, cum equis copertis, armati cum sonagliis et tintinabulis et suprainsignis,[Page 23]

et etiam dominus comes Guido de Mutilliana cum filiis suis, et d. comes Guido Novellus cum magna milicia, et populus totus, qui erat in civitate Faventie, cum vexillis et armis. Et domini clerici totusque clerus civitatis Faventie et fratres religiosi, cum crucibus, et domine omnes de civitate Faventie venerunt in portam Imolensem, per porticus et stratam, causa faciendi honorem dominis supradictis, qui veniebant a civitate Bononie et Imole. Item, die dominico tercio mensis novenbris, factum fuit maximum parlamentum in platea comunis Faventie, ubi milites et pedites Faventie commorantes, cum vexillis eorum et insigniis, convenerunt; in quo parlamento lecte fuerunt litere legationis et iurisdictionis predictorum cancellerii et legatorum. Et arengavit in ipso parlamento dictus dominus episcopus legatus summi pontificis; postea arengavit dominus cancellerius literaliter, eo quod erat teothonicus, ignorans latinam linguam. Et, in dicto et locutione sua, dixit quatuor, super quibus fundavit dictum suum. Primo enim proposuit salutem, quam dominus rex Rodulfus electus inperator romanus mittebat amicis et fidelibus suis. Secundo posuit exortationem et confortationem, ut omnes homines essent fideles sacrosancte ecclesie et romano inperio. Tercio adnunciavit adventum ipsius domini regis, quod esset in brevi. Quarto et ultimo requisivit ab omnibus Faventinis fidelitatem pro romano inperio et ipso domino rege Rodulfo inperatore electo. Post eum surexit d. Guido de Sugeria legum doctor, et exposuit latinis verbis totum, quod dominus cancellerius dixerat literaliter.

Postmodum arengavit d. Giliottus iudex de Favencia pro comuni Favencie. Demum dominus Maghinardus de Sosenana potestas Faventie, nomine et vice comunis Faventie, iuravit fidelitatem predicto domino cancellerio, recipienti pro domino rege Rodulfo et pro romano inperio. Subsequenter, eadem die, factum fuit consilium generale comunis Faventie, in quo consilio omnes de consilio iuraverunt fidelitatem predictam.

Dominus Aunestus de Ravenna, dominus Raule de Cesena fuerunt potestates Faventie M.CC.LXXVI.

Eo anno, tenpore potestarie dicti d. Raulis, comune Faventie, milites et populares, et milites et populares partis Lanbertaciorum Faventie commorantium, et milicia comunis Forlivii equitaverunt versus montanam in terreno d. Ugolini Fantulini, et apud Rontanam et ad Quarmenti, et ibidem fecerunt multa incendia; propter que homines de montanis illis, qui tenebant cum d. Ugolino Fantulini, congregaverunt se adinvicem. Demum contigit quod ipsi fecerunt [magnam] congregationem populi, unde milites et populares [de Faventia et] de parte Lanbertaciorum, insultantes predictos, [statim occurrer]unt, et illi eos sconfixerunt, multos occi[dendo et] capiendo et Faventiam conducendo; et hoc fuit die...[Page 24]

Illustris vir d. comes Rogerius filius domini comitis Guidonis de Mutilliana, illustris vir d. comes Manfredus filius domini comitis Guidonis Novelli fuerunt potestates civitatis Favencie M.CC.LXXVII, quilibet eorum per sex menses anni predicti, scilicet comes Rogerius pro primis sex mensibus et comes Manfredus pro ultimis. Eo anno, de mense madii, comune Forlivii, cum milicia et populo universo et omnibus suis comitatinis, et cum milicia de Arimino et Cesena, et comune Faventie et tota pars Lanbertaciorum Faventie commorancium fecerunt exercitum generalem supra Bagnacavallum, in quo exercitu fuerunt d. comes Guido de Montefeltro capitaneus generalis guerre, d. comes Guido Novellus, comites Tigrimus et Facius filii domini comitis de Mutilliana, et honorabilis maxenata comunis Forlivii, cum tenptoriis et travachis et omnibus paramentis ad exercitum oportunis, et a latere, desuptus Bagnacavallum, exercitum posuerunt, ubi steterunt XII dies, facientes manganos, qui iactabant lapides VI. librarum in ipsum castrum. Et, ipso exercitu existente ibidem, comune Bononie fecit maximum guarnimentum militum de Parma, Regio, Mutina, Feraria, Pistorio, et, cum toto exforcio militum et peditum, venerunt Imolam, ut eorum timore dictus exercitus separaret se [de ipso castro; sed] se cicius non moverunt.

Et eo anno, die mercurii XVI [mensis iunii dominus comes Rogerius] potestas Faventie, cum omnibus Faventinis, et [illi de parte Lanber]taciorum Faventie commorantes, ta[m milites quam pedites, posuerunt exer]citum apud Codognolam, et [ibidem aliud castrum fecerunt edificari], ex parte manca fluminis [Alamonis, ad iniuriam illorum] de Bagnacavallo et ad defensionem [*districtus Faventie*].

Eo vero anno, tenpore regiminis d. comitis Manfredi potestatis Faventie, fuit potestas Forlivii dominus Vicencius de Aunestis de Ravenna, et capitaneus populi Forlivii fuit d. Busonus de Eugubio, vir prudens et loquax, quorum tenpore dominus Paganinus de Argoglosiis et Guilielmus de Ordelaflis exiverunt civitatem Forlivii, et iverunt ad civitatem Florentie tanquam rebelles comunis, et, dicta de causa, fuerunt exbanniti, et domus eorum dirute per comune Forlivii. Et tractaverunt predicti cum Guelfis de Florentia et cum parte Geremiorum de Bononia, dicentes se taliter facturos cum amicis eorum de Forlivio, quod ipsi

darent civitatem Forlivii dictis Guelfis et parti Geremiorum, et super hoc ultra quam [V.c] homines de Forlivio iuraverant se facturos; et in hoc tractatu fuerunt bene per VIII menses et ultra, ita quod pars Geremiorum, que tunc dominabatur in civitate Bononie, misit anbaxiatores suos ad civitatem Florencie pro dicto tractatu faciendo et complendo, et ibidem inventi[Page 25]

fuerunt stipendiarii in quantitate VII.c, et pignorati fuerunt XXV ex filiis tam militum quam popularium dicte partis Geremiorum, et ducti Florentiam: pignoraverunt etiam gabellam et passagium comunis Bononie usque ad duos annos, pro solvendis stipendiariis eorumdem. Et postmodum dictum fuit quod bene fuerunt mille stipendiarii de Florentia, quorum dux et capitaneus erat dominus comes Guido Salvaticus filius olim d. comitis Rogerii de Dovadola, et d. Bindus Bascheria de Tosinghis de Florentia. Ex alio vero latere, miserunt predicti Geremienses in Lombardia pro habendis stipendiariis, et miserunt ad civitatem Ravenne IV.c stipendiarios, et de Lombardia habuerunt a civitate Parme VI.c stipendiarios, et a civitate Regii II.c, et a civitate Mutine II.c stipendiarios habuerunt, quos omnes secum duxerunt. Et, die iovis IV mensis octubris, comune Bononie, milites et populares, cum dictis stipendiariis de Lombardia, venerunt ad civitatem Imole.

Fuit itaque taliter ordinatum quod dictus comes Guido Salvaticus, cum tota sua gente et stipendiariis de Florentia, quorum capitaneus ipse erat, deberet movere una die dicta et designata, et transire alpes et venire in districtum Forlivii. Et dictum comune Bononie, cum suo guarnimento, debebant venire Faventiam, ad hoc ut, ipsorum timore, illi, qui erant Faventie, non succurrerent comuni Forlivii. Et sic dictus d. comes Guido Salvaticus, cum sua gente, transivit alpes, et cepit multa castra et fortificias per districtum Forlivii, in alpihus et montanis; et d. Rainerius de Calbuli et dominus Luiçius de Valbona et multi alii comitatini civitatis Forlivii fuerunt rebelles comunis Forlivii. Et occupaverunt, inter cetera, quoddam burgum castri Civitelle, quod est supra Forlivium per quindecim milliaria, ad quem burgum predicti milites pervenerunt, et ipsum optime munierunt de bonis capitaneis et bona gente, pro defensione ipsius burgi. Et iverunt ad Valbonam, et ibi castrametati sunt, die sabati XIII mensis novenbris.

Eo vero tempore comune Forlivii, volens predictis oviare et se opponere ne proditores illi eorum desiderium adimplerent, et pro manutenendis et conservandis iuribus et bono statu comunis Forlivii et amicorum suorum, cum toto suo exforcio, et cum parte Lanbertaciorum Faventie commorancium, et cum militibus et popularibus de Faventia, et ibidem erant dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus generalis guerre et dominus comes Guido Novellus, et ostiliter usque ad dictum burgum castri Civitelle magnifice perexerunt; et, die dominico XIV mensis novenbris, preliantes ad ipsum burgum, violenter ceperunt eundem, et capti sunt et mortui fuerunt omnes, qui in ipso burgo fuerant, nemine evadente: capti fuerunt d. Paganinus de Argoglosiis et d. Franciscinus eius filius et Guilielmus de Ordelauffis, qui fuerant proditores comunis Forlivii, et autores et conductores omnium predictorum, cum multis aliis eorum complicitibus. Innumerabiles etiam fuerunt ibi mortui, inter quos fuit mortuus Rigus filius domini Luiçii de Valbona. Quibus omnibus sic peractis, d. comes Guido Salvaticus, intellectis predictis, cum tota gente sua et stipendiariis de Florentia in fugam conversus, pertransiundo alpes, versus Florentiam iter arripiunt, relictis armis et someriis atque equis plurimis intra viam.[Page 26]

Quidam etiam ex eis iverunt ad castrum Tredolcii, ubi erant obsides comitis Guidonis de Remena potestatis Arimini, et, accipientes dictos obsides, aufugiebant cum eis; unde rumor hominum et mulierum dicte contrate fidelium dicti comitis de Remena insonuit contra eos, qui in fugam positi, dictos obsides reliquerunt per viam, et vix potuerunt evadere cum personis. Interim tamen, ante quod predicta contingerent, Bononienses, qui erant Imole, cum toto guarnimento eorum, equitaverunt quodam die, in mane, venientes usque prope pontem Sancti Proculi, ubi aliquantulum steterunt, et balestraverunt ibidem, incontinenti versus Imolam redeuntes.

Auditis postmodum rumoribus et hiis, que contigerant Florentinis, predicti Bononienses cum eorum guarnimento, Bononiam redierunt.

Predicti vero domini, Paganinus et filius et Guilielmus de Ordelauffis et quidam alii eorum complices, fuerunt per comune Forlivii in perpetuis carceribus condenpnati, in turri posita in castro inperatoris, in civitate Cesene, cum tormentis ferreis ad collum, perpetuo moraturi.

[M.CC.LXXVIII, *die iovis X februarii, obiit dominus Ugolinus Fantullini nobilis miles.*

Hoc anno pars Geremiorum, que Bononie dominabatur, duxit exercitum supra Plancaldulum, et, pro bello faciendo, misit comitem Maghinardum de Panico et Ubaldinum de Laugliano *et dominum Rainaldum Bornii de Samaritanis cum equitibus CC, et cum omnibus peditibus habitantibus* supra stratam ab Idice versus Imolam, in montanis comitatus Bononie; et castrametati *sunt ibi, die lune II maii. Die vero dominico sequenti, surrexerunt dominus Maghinardus* de Sosenana, cum Andrea olim domini Castellani de Andalo, et dominus Branchaleo domini Andalo et dominus Aliottus de Pipinis de Forlivio, qui tunc erat capitaneus partis Lanbertaciorum, et cum tota milicia dicte partis, et cum militibus c comunis Forlivii, equitantes versus *Mutillianam*, et ibi *acceperunt dominum comitem Tigrinum filium comitis Guidonis de Mutilliana*], cum magna quantitate peditum fidelium suorum, pergentes versus Maradi, euntes, ipsa die dominica et ipsa nocte, usque ad Sanctum Stephanum in Palaçolo, in podere dicti[Page 27]

domini Maghinardi de Paganis, et ibidem aliquantulum refecti ipsi et equi eorum; senper tamen pluebat fortiter supra eos. Et sic, die lune tunc sequenti, equitantes per montanas, per rupes et nemora, venerunt usque prope castrum Plancandoli, ubi erat exercitus Geremiorum. Dum vero predicti de exercitu intellexerunt sucursum tam magnum venire in auxilium illorum, qui erant in castro Plancandoli, in continenti, relictis spoliis, que habebant in

exercitu memorato, terga vergentes, in fugam conversi sunt. Aliqui vero ex popularibus se in quandam fortiliam reducerunt; predicti vero milites, qui erant cum dictis dominis de And[alo], insultantes predictos, qui erant in dicta fortilia, per vim ceperunt eosdem, plurimos occidendo, vulnerando et capiendo, qui fuerunt ultra ducenti, reliquentes etiam ibidem eorum insignia, que postmodum, cum dictis captis, Faventiam portata fuerunt. Quibus peractis, illi, qui erant in castro Plancandoli, acceperunt panem, vinum, tentoria et travacchas et omnia spolia de exercitu, et ipsa in dicto castro reposuerunt, et duos manganos, quos predicti Geremieneses ibidem construxerant. Que omnia maximum dedecus et pavorem intulerunt parti Geremiorum. Eodem anno, die martis XXIV mensis maii, comes Manfredus potestas Faventie, cum tota militia et populo civitatis eiusdem, et dominus Galiottus de Pipinis capitaneus partis Lanbertaciorum Faventie commorantium, cum tota militia et populo dicte partis, post terciam dicti diei, equitaverunt versus civitatem Imole, invenientes multos homines de Imola supra canale, ad reaptandum et reparandum transitus ipsius canalis. Et contigit quod milites, qui cucurrerunt ante alios, invenerunt predictos ad laborerium supradictum, et, insultantes eosdem, in fugam conversi sunt, ita quod ultra centum ex eis fuerunt mortui et capti et ducti in prexonias civitati Faventie, propter que viscera illorum et Imolensium fuerunt plurimum conturbata. Item, dicto anno, die mercurii VI mensis aprilis, magnus vir dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus populi et comunis Forlivii, et comune Forlivii, fecit exercitum generalem supra castrum de Calbulo, in quo castro erant retrusi dominus Rainerius de Calbulo et dominus Guido eius frater et domini de Pertexeta et quidam alii, qui nolebant obedire comuni Forlivii, habentes in ipso castro ultra quantitatem VII. c hominum proborum virorum ad defensionem. Cui domino Rainerio comune Bononie, quod tunc erat pars Geremiorum, dederant XII millia libras Bononie ad hoc, ut ipse magnum apparatus faceret, et maximum furnimentum poneret in castro Calbuli, pro defensione ipsius facienda per X menses et ultra. In quo castro idem dominus Rainerius posuit omnia necessaria ad defendendum ipsum castrum, per dictum tempus. Unde comune Forlivii fecit ibidem edificari VII manganos, qui continue, die noctueque, iactabant in dictum castrum, destruendo muros et perforando et occidendo homines ipsius castri: quare illi, qui erant in castro de Calbolo, non potuerunt sustinere; sed ad concordiam pervenerunt cum comune Forlivii. Et, relicto castro, salvis tamen in personis et rebus eorum, quas exportare potuerunt, recesserunt abinde. Die mercurii primo mensis [iunii, comune] vero Forlivii dictum castrum Calboli fecit funditus dirui et conburri.[Page 28]

Et, predictis sic confectis, in continenti ecce quod supervenerunt in provinciam Romaniole nuncii summi pontificis domini Nicholai pape tercii qui, per singulas terras Romaniole properantes, et in civitate Bononie, mandaverunt ut per quaslibet comunitates terrarum, et etiam parcium expulsarum de qualibet terra, syndici legitime constituti mitterentur ad romanam curiam, causa compromittendi in summum pontificem supradictum de discordiis, que partes cuiuslibet civitatis dicte provincie haberent ad invicem. Et sic per comune Faventie, quod dominabatur tunc pars Acharixiorum, fuerunt syndici ordinati d. Bonaventura Fuscoli et ego Petrus Cantinelli, et, dicta occasione, ivimus ad romanam curiam, ubi nos presentavimus in civitate Viterbii coram summo pontifice. Et ibidem fuerunt syndici partis Manfredorum et syndici partis Geremiorum et partis Lanbertaciorum de Bononia et cuiuslibet partis de civitatibus Imole, Forlivii, Cesene, Ravenna, Cervie, Forlinpopillii, Bretenorii et Bagnacavalli, de mense iulii anni predicti. Et demum, omnibus tractatis per dictos syndicos cum domino Matheo Rubeo cardinali, nomine dicti summi pontificis, facta fuerunt, per dictos syndicos dictarum terrarum, generaliter compromissa alte et basse indictum summum pontificem; postmodum vero voluit et petiit idem summus pontifex, et super hoc misit etiam suos nuncios per provinciam Romaniole, ut, per quaslibet terras et partes terrarum, syndici ordinarentur et fierent ad faciendam fidelitatem summo pontifici supradicto et romane ecclesie, et ad recognoscendum et demonstrandum omnes et singulas terras provincie Romaniole et civitatem Bononie esse de iurisdictione et de principatu romane ecclesie, cum omnibus et singulis comitatibus et districtibus. Et sic predicti syndici constituti fecerunt, et postea, per singulas dictas terras nuncii summi pontificis accesserunt, facientes ratificari per singula comunia terrarum que per eorum syndicos facta erant, et facientes omnes et singulos homines a XIV annis supra et a LXX infra iurare fidelitatem predictam summo pontifici et romane ecclesie. Et sic factum est. Nuncii vero summi pontificis, qui venerunt in Romania pro predictis, fuerunt dominus Guilielmus Durantis canonicus carnotensis capellanus domini pape, frater Iohannes de Viterbio et frater Laurentius de Todi ordinis Predicatorum.[Page 29]

In kalendis vero iulii eiusdem anni intravit regimen civitatis Faventie d. comes Glaçesius de Castrocario. Quibus omnibus sic peractis, idem dominus papa elegit et misit comitem Romanie et Bononie dominum Bertoldum de filiis Ursi nepotem suum, qui venit ad civitatem Arimini de mense octubris, et, accipiens omnes fortilias dicte terre, relinquens ibidem unum potestatem et rectorem, perexit ad civitatem Cesene, ubi fecit similiter; sed, sicut Domino placuit, ibidem infirmatus est, et multum in sua infirmitate permansit. Tandem misit Romam pro filio suo domino Gentile, qui, per alias terras et civitates Romanie progrediens, omnes et singulas [civitates et terras] subiugavit, et in qualibet civitate et terra [potestates et] rectores apposuit. Venitque ad civitatem Faventie, cum magna militum comitiva de Roma et de Patrimonio sancti Petri et de Francia, die sabati XXIX mensis octubris, ubi honorifice est receptus et positus in tenutam et corporalem possessionem districtus et civitatis Faventie; portatumque fuit super caput ipsius pallium deauratum, et date fuerunt sibi et in suis manibus, per syndicum comunis Faventie, scilicet dominum Bonaventuram Fusculli, porte civitatis Faventie et claves ipsarum portarum, et intravit ipsam civitatem per portam Pontis; veniebat enim de civitate Ravenna. Subsequenti vero die lune, ultima mensis octubris, venit ad civitatem Faventie

dominus frater Latinus cardinalis romanus, legatus apostolice sedis.
Et fuit electus potestas [civitatis] Faventie, [a die mart]is kalendarum novenbris [eiusdem
anni, usque] ad unum annum, dominus Stefanus Iohannis Iordani proconsul romanus, et fuit
electus per comune Faventie, precibus et instantia dicti domini cardinalis et domini Gentilis.
[*Die vero mercurii secundo mensis novenbris, iverunt ad civitatem Imole et tradite fuerunt*
sibi claves et fortilitas civitatis Imole, et potestatem et rectorem ibi reliquerunt. Et, die iovis
tertio dicti mensis, iverunt ad civitatem Bononie, et ibi steterunt multos dies. Et illi de parte
Geremiorum, qui habebant dominium civitatis Bononie, nolebant pacem facere cum illis de parte
Lanbertaciorum, nec volebant dare dictis domino cardinali et domino Gentili potestariam et
dominium civitatis Bononie. Unde contigit quod idem dominus Gentilis fecit sibi dari ab illis
de Bononia omnes captos et obsides, quos tenebant de parte Lanbertaciorum, et ipsos duxit Imolam,
die iovis XXIV mensis novenbris. Et, die sabati tunc sequenti, venit ad civitatem Faventie,
et fecit sibi dari omnes captos de parte Geremiorum, quos illi de parte Lanbertaciorum
Faventie commorantium habebant in carceribus, et ipsos, in eodem modo, fecit duci ad civitatem
Imole. Demum contigit quod, occasione quorundam de parte Geremiorum, qui erant capti
Imole et aufugerunt, dictus dominus Gentilis accepit omnes predictos captos et obsides de
utraque parte, et ipsos fecit duci ad civitatem Cesene. Die autem mercurii, ultimo mensis novenbris,
venit ad dominum Bertoldum patrem suum, qui erat tunc in bona convalescentia. Et
die iovis primo mensis decenbris, idem dominus Bertoldus comes Romaniole fecit maximum
parlamentum in palacio comunis Cesene, ubi fuerunt anabaxiatores omnium civitatum et terrarum[Page 30]

*Romaniole, et fecit ibidem legi sua ordinamenta, que volebat per totam provinciam
generaliter observari*].

Postea vero venit dictus dominus Bertoldus Forlivium, et venit Faventiam et Imolam, et
ibidem stetit pluribus diebus, et factus fuit tractatus pacis hominum civitatis Imole, scilicet
inter intrinsecos et extrinsecos, et etiam inter Faventinos; et dictus dominus Bertoldus accepit
obsides ab utraque parte Imolensium, quos duxit ad civitatem Forlivii. Et, die veneris XXVII
mensis ianuarii, pars Mendullorum de Imola, que morabatur Faventie, intravit civitatem Imole
cum magno gaudio et triumpho.

Item, die lune penultimo mensis ianuarii anni domini M.CC.LXXIX, indictione VII,
dominus legatus predictus venit ad civitatem Faventie, et honorifice fuit receptus. Die
martis sequenti, illi de parte Manfredorum, qui erant extra Faventiam, redierunt in civitatem
Faventie, et, cum magno gaudio, fuerunt recepti ab illis de parte Acharixiorum. Item
die mercurii primo februarii, dictus dominus legatus et dominus Bertoldus, qui etiam venit
Faventiam dicto die martis ultimo ianuarii, fecerunt arengum in podio sancti Petri, et ibidem
anbe partes de civitate Faventie fuerunt, et L ex qualibet parte fecerunt pacem ad invicem,
osculo pacis interveniente. Et dominus legatus predictus tulit sententiam suam, et mandavit
partibus ut pacem predictam observarent, sub pena X.m marcharum argenti.

Die vero iovis II februarii, dictus dominus legatus fecit maximum convivium in pallacio
Faventie, ubi fuerunt maiores utriusque partis de Faventia, et multi, tam clerici quam laici,
et dominus comes Guido de Montefeltro et dominus comes Dadeus Boncontis et multi alii
magnates.

Eodem anno, die dominica ultima mensis aprilis, circa horam vesperarum, fuit magnus
terremotus. In nocte vero sequenti, adveniente die lune kalendarum madii, quasi circa horam
medie noctis, fuerunt terremotus magni, et specialiter unus maximus fuit, propter quod
gentes plurimum timuerunt; nam, ex forcia eius, multa castra in montanis corruerunt, et conquassata
sunt, et multe gentes mortue sunt sub castris et muris castrorum, que corruerunt.

Et tunc mortuus est Banbus filius Bonifacii de Sosenana, in Castiglono, cum pluribus aliis,
qui erant cum eo. Similiter et filii fratris Guarnerii filii domini comitis Glaçesii de Castrocario,
qui erant in castro de Fantella, cum matre ipsorum et tota eorum familia, mortui
sunt propter conquassationem turris et castri predicti. Et multe alie gentes infinite mortue
sunt, dicta occasione, in multis partibus mundi, propter domos et edificia, que corruerunt;
et plurime ecclesie similiter destructe sunt propter fortiam dicti terremotus.

Eodem anno factus est potestas civitatis Bononie dominus Bertoldus de filiis Ursi romanus
civis comes Romaniole, per sententiam latam a domino Nicholao papa tercio. Et intravit civitatem
Bononie in die festi beati apostoli Petri, de mense iunii, ubi, cum magno triumpho et
honore, fuit receptus.

Eodem anno facta fuit pax in civitate Bononie, in plena contione et predicatione, apud
ecclesiam beati Dominici, inter sindicum totius partis Geremiorum, qui dominabantur civitatem,[Page 31]

et sindicum totius partis Lanbertaciorum, qui erant extra civitatem Bononie, et hoc fuit in
presentia domini Latini cardinalis apostolice sedis legati et domini Bertoldi comitis Romaniole.
Et sindicus partis Lanbertaciorum fuit Spagnolus Guidonis Spagnoli notarius sindicus vero partis
Geremiorum fuit Aldrovandinus de Marsiliis notarius, qui iuraverunt dictam pacem servare
in animabus omnium hominum partium predictarum; et hoc fuit die mercurii VII exeunte iulio.
Item, eodem anno, die iovis XVII mensis augusti, facta fuit pax generalis inter partem
Geremiorum et partem Lanbertaciorum de Bononia, in civitate Imole, in plena contione et
predicatione, ubi erant d. comes Bertoldus comes Romaniole, d. Latinus cardinalis apostolice
sedis legatus, d. Bonifacius archiepiscopus de Ravenna, d. archiepiscopus barensis, d.
Octvianus bononiensis episcopus, d. Sinibaldus imolensis episcopus, et abbas Galiate, parati
omnes; quam pacem fecerunt quinquaginta de maioribus utriusque partis, quorum nomina
sunt infra, qui omnes iuraverunt ad sancta Dei evangelia, et promiserunt sibi invicem, stipulantibus
pro eis et nomine et vice omnium de parte ipsorum, dictam pacem observare et
facere perpetuo observari, sub pena X mille marcharum argenti.
D. Galaottus D. Guilielmus Simon} de Lanbertinis pro parte Geremiorum.

Dominus Albertus de Asinellis.
D. Baxacomatrix de Baxacomatribus.
Licanorius de Goçadinis.
Nicholaus d. Teste de Rodaldis.
D. Beccadinus D. Franciscus} de Artinixiis
Bonçanes d. Civinini D. Çuntola} de Çovençonibus
Philippus de Oselittis.
D. Marchixinus Richadonne.
D. Guidoctinus Minus} de Prendipartibus
D. Rainerius de Liaçariis.
D. Paxe D. Fulcus} de Paxe
D. Guidoçane condam d. Bertolomei.
D. Lanbertinus Ranponus legum doctor.
Cabriele Grugni.
D. Thomaxinus Mazacolorie.
D. Rodulfus Albertus} de Salatiniis.
D. Veneticus D. Albertus novellus} de Caçanimicis.
D. Petrus d. Frulani.
D. Baçalerius cd. d. Nicolai D. Ranbertus} de Baçaleriis.
D. Rainerius Bornius.
Fucius de Graidanis.
D. Nicholaus de Thebaldis.
D. Bonavolta Tuçimaninus} de Malavoltis.
D. Thomax de Ghisleriis.
D. Rolandinus de Romanciis.
D. Cervus de Boateriis.
Riçardus de Riço.
D. Comaçius Blanchus} De Galluciis.[Page 32]

D. Bonifacius Albertuccius d. Rigucii} de Galluciis.
D. Gerardus Mascinellus.
Iacominus d. Nicholai domine Docte.
D. Torellus de Torellis.
D. Albericus de Simopiçolo.
Petrucius eius filius.
D. Iacobus Balduini.
D. Çoennus de Pepolis.
Rolandinus d. Pipini.
Qui omnes fuerunt pro parte Geremiorum.
D. Castellanus d. Fabri de Lanbertaciis.
D. Soldanus de Albaris.
Andreas d. Castellani de Andalo.
Branchaleo d. Andalo.
D. Gualtirinus de Machagninis.
D. Petrus de Carbonensibus.
D. Petrus d. Bergadani.
D. Ariverius de Carbonensibus.
D. Philippus D. Bonifacius} de Abaisio.
Useppus Bertolomeus} de Fracta.
D. Albiçus de Rustiganis.
Rustiganus de Rustiganis.
Oddo de Abaisio.
D. Spagnolus Abbatis legum doctor.
D. Thomax Guinicellus} de Principibus.
D. Guilielmus Boccacius.
D. Petrus de Asinellis.
D. Uguiçio Iohannes d. Açolini} de Titalasina.
D. Odericus de Castro Britonum.
D. Lanbertinus Mulnaroli
D. Lanbertinus de Arientis.
Bergognonus de Scanabiciis.
D. Thibertus Melonus.
Munsarellus Passavantis.
Petrus Caçetta.
Brancha de Magarottis.
Riçardinus de Ponticlo.
Iacobus Abatis.
Franciscus de castro Britonum.
D. Armannus de Rustiganis.
D. Aldovrandinus de Malatacchis.
D. Castellanus D. Barufaldinus D. Laigonus D. Lodorengus} de Sturlittis.
D. Boccaderuncho D. Uguiçio} de Guarinis.
D. Rolandus de Tarafogulis.
Minus d. Soldani de Albaris.
D. Çanguiglelmus de Ugoçonibus.

Iacobus de Villanova.
D. Mixottus Apolonius} de Ursis.
Nicholaus de Piçicettis.
Çacharias de Maranensibus.

Qui omnes fuerunt ex parte Lanbertaciorum.

Forma sententie late per Dominum Nicolaum papam tertium super pace civitatis Bononie.

"In Nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Commisse nobis a Domino solitudinis honus viscera nostra multipliciter inquietat, cum ecclesie romane fideles et filios varia deprimi perplexitate conspiciamus, ipsorum statu diversarum procellarum turbine fluctuante. Dum vero ad singulas regiones cogitatus nostros extendimus, civitatem bononiensem nostram et ipsius ecclesie specialem mentaneis oculis intuemur, ac illam afficimur, et eius incolas in memoriam retinemus. Ipsa quidem civitas, inter alias Italicas speciali prerogativa fecunda, viros eminentis sciencie, viros alti consilii, viros prepollentes dignitatibus et virtutibus precellentes, solet ab antiquo, propagatione quasi naturali, producere; ipsa veluti fons inriguus scientiarum dulcedinem scaturit, et suavi licore reficit scientes, at illos eius amenitas allicit etiam a remotis, in ipsa viri nutriuntur electi, et ex ipsa viri proveniunt fructus laudabiles efferentes, sicut preterita indicant, et in eorum quanpluribus hodie testimonialis evidentia manifestat. Digne igitur in sue quietis plenitudine delectamur, digne querimus, ut[Page 33]

prosperis senper anplietur augmentis, et in vigore persistat solide libertatis. Nec indigne solitudinis apostolice partes apponimus, ut sui famosi nominis nequeat obnubilari serenitas, neque sui status prosperitas laceretur in aliquo, vel dispendiose tangatur, cum eius quies longe lateque per orbem diffundatur in alios, et per illam fluctuationes abeant grassancium malignorum. Et si, quod absit, inibi turbationes odiose vigerent, talis turbatio non solum circumvicinas, sed remotas etiam provincias odiorum anfractibus concitaret. Profecto hec non inmerito infra claustrum nostre memorie revolventes, frequentius [abolim illa se] nostris obtutibus presentabant, et, rememorando civitatis eiusdem gesta magnifica, pungebamur aculeis in guerrarum discriminibus, que dicta civitas et eius incole diutius pertulerunt, et quibus odiosis contractationibus quassabantur. Quid miri, si nos afficiebat anxietas, dum in tam ameno viridario flores videbamus arescere, qui solebant per universa mundi climata refluere? Quid si, more custodis, excitabamur vigiliis, dum remediis pensabamus occurrere, ne decederet eius amenitas, in qua fructus uberes excrescebant? Quid, si tam preclaris filiis conpaciebamur ab intimis, dum illorum percipiebamus animos consternatos, quorum magnanimitas per exemplum aliis predicabatur? Certe circa hec angebamur intrinsecus, dum infra nostra precordia resultabant, et tandem nobis, preter humana studia, que hiis solerter addicimus, expectantibus ex alto consilium, operatus est Dominus, qui scissa vulnera clemencie sue miseratione consolidat, et potenter abolet cicatrices, et, solitudinibus nostris manum sue propitiacionis apponens, sic civium eorundem succensa corda linivit, quod ad sedem apostolicam civitatis eiusdem, certis anxiatioribus et nunciis destinatis super litibus et questionibus et differentis et discordiis, que essent et verterentur, et esse possent inter comune et partem Geremiensium de Bononia et eius districtu, que nunc in civitate et districtu commorabantur, et tenebant eandem, et universitatem ipsius partis ex una parte, et partem Lanbertaciorum extrinsecorum de civitate et districtu prefatis, et universitatem eiusdem partis ex altera, occasione guerrarum habitatum inter dictas partes propter deiectionem factam de parte Lanbertaciorum de civitate et districtu Bononie, occasione quacunque danpnorum, iniuriarum et maleficiorum factorum per dictas partes sibi invicem, in specialibus preliis et generalibus guerris et aliis quibuscunque occasionibus, modis vel causis; per Antollinum de Mançolino doctorem legum, et Liaçarium de Liaçariis iudicem eorundem comunis et partis Geremiensium; et Spagnolum Abbatis doctorem legum, et Comitum de Butrio iudicem, ac Maçolum de Maçis partis Lanbertaciorum predictae speciales procuratores et syndicos parcium earundem, sufficiencia mandata pro premissis habentes, in nos extitit tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem alte et basse, sub certa pena, concorditer compromissum. Ita quod super predictis et supra adiacenciis et pertinentiis et spectantibus ad premissa et quolibet premissorum et eorum accessoriis possimus, et nobis licitum sit sententiare, diffinire, ordinare, statuere et decernere, [dicere], precipere et mandare, et arbitrari, prout et quando et quotiens nobis placuerit et de nostra processerit voluntate, semel et pluries, totaliter et in parte, simul et divisim, diebus feriatis et non feriatis, partibus presentibus et absentibus, una parte presente et altera absente, iuris ordine [servato vel] non servato, ac corrigere, emendare, interpretari et declarare ac mutare, que per nos ordinata et statuta fuerint sive dicta, inter predictos et alios, quocunque nomine[Page 34]

censeantur et cuiuscunque conditionis existant. Et nichillominus dicti procuratores et syndici similiter compromittentes in nos, dederunt et concesserunt nobis, nomine dictarum partium, liberum et generale arbitrium et arbitramentum in predictis et quolibet predictorum et pertinentibus ac spectantibus ad predicta, nobis partes predictas et homines dictarum partium, alte et basse ac plenarie, supponentes ad promittendum et dandum obsides, munitiones et castra, fideiussores et securitates ad mandatum et voluntatem nostram, et super omnibus et singulis in huiusmodi compromisso contentis, et prout in huiusmodi mandato semel et pluries et quotienscunque processerit, prout in instrumentis publicis inde factis plenius continetur. Nos autem, compromisso ipso recepto, ad tante concordie commodum frequentibus studiis intendentes, venerabilem fratrem Latinum Hostiensem et Velletrensem episcopum, apostolice sedis legatum ad partes illas, propter hec inter alia, duximus, tanquam pacis angelum, destinandum. Sed quia affectus optate concordie ultra concepta desideria trahebatur, de quiete ac statu prospero ipsorum civitatis et civium tractatus per nos ipsos assumpsimus, et per alios etiam super hiis apud sedem apostolicam tractari fecimus diligenter, et tandium ad premissa eo ferventius studia nostra convertimus, illaque sensibus nostris infiximus, quanto iidem civitas et incole

ad nos et ad eandem ecclesiam dignoscuntur specialiter pertinere, ac ipsorum statum pacificum desiderabilius affectamus; sicque negotio ipso et ipsius contingentibus plene discussis, et super omnibus deliberatione habita diligenti, ad laudem Dei, pro bono pacis et quiete desidentium, tam [apostolica quam arbitraria potestate, sicut arbiter, arbitrator et amicabilis compositor in hac parte, ac etiam sicut civitatis predictae dominus temporalis, ordinamus, diffinimus, statuimus, decernimus, dicimus, precipimus, mandamus et etiam arbitramur. In primis, ut hesitantium corda diutius, pro dolor! odiorum fomitus concitata reconciliationis licore placentur, et facilius animorum integritas perfusione superne gratiae subsequatur, quod infra unum mensem, postquam per nos ad ipsius civitatis regimen deputanda persona civitatem eandem intraverit, et huiusmodi regimen inceperit exercere, de parte ad partem fiat pax solida generalis, per syndicos ad hoc a partibus specialiter ordinatos. Quae quidem pax primo per syndicos ipsos iuretur, et subsequenter, facta per eosdem syndicos iniuriarum et danpnorum usque in diem compromissi facti in nos hinc et inde remissione plenaria et etiam generali, ita tamen quod haec remissio ad bona immobilia et etiam mobilia extantia, quae mobilia non sunt inaedificata, affissa, inmissa vel iniuncta, quinquaginta persone de parte qualibet eligantur per personam deputandam a nobis ad hoc, quae, nomine partium earundem, pacem adinvicem faciant, quam bona fide promittent et iurent, quantum in eis est, per se ac alios inviolabiliter observare et facere observari. Fiat quoque pax integra singularium personarum, de quibus nobis expedire videbitur, vallanda iuramentis et aliis firmitatibus, prout per nos vel alium, de mandato nostro, extiterit ordinatum. Ad easdem quidem partes, quae diutius dissidiosis dispendiis languerunt, compassionis animum convertentes, ut quando nos sibi benigniores invenerint, tanto dulcius cicatrices vulnerum solidentur, et quies utrinque liberius in gratiarum refectione concreseat, omnes sententias sive banna, contumacias, per quoscumque prolata, occasione partis, a tempore rumoris, ut eorum verbis utamur, bonorum quoque publicationes per quoscumque factas, et quicquid secutum est ex eis vel ob id, auctoritate simili relaxamus, cassamus et etiam irritamus, ac volumus de cetero nullius existere firmitatis. Condenpnationes autem pecuniarias, quae factae dicuntur per quondam Guillelmum de Pusterula, tunc potestatem bononiensem, tempore predicti rumoris, quia de ipsis condenpnationibus et modis earum nobis non liquet ad praesens, nostro arbitrio reservamus. Si qua autem statuta, mandata, sententiae vel processus habita sunt in predictis per venerabilem fratrem nostrum L. Ostiensem et Velletrensem episcopum,

[Page 35]

apostolice sedis legatum, vel per dilectum filium nobilem virum Bertoldum de Filiisursi civem romanum, totius provinciae Romaniolae, civitatis bononiensis, comitatus Brittenorii et pertinentiarum eorundem rectorem, illa et eorum effectum nostre providentiae reservamus]. Et quia pax ipsa, dante Domino, discordiarum radicibus extirpatis maiori radicabitur firmitate, ac prosperitate virescet, odiosis refricationibus sissuram ulterius non passura, volumus et arbitrando precipimus quod omnia bona immobilia et mobilia extantia, quae mobilia non sint inaedificata, inmissa, affissa vel iuncta, seu iura qualitercumque per quoscumque et a quibuscumque, occasione partium vel discordiarum, a tempore motae guerre inveniuntur occupata, saisita, subtracta vel disforciata seu detenta, restituantur generaliter et singulariter hic inde, sicut habebantur tempore exitus partis Lanbertaciorum, infra terminum deputandum per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum; ita tamen, quod haec restitutio ad contractus alios legitime factos de libera contrahentium voluntate nullatenus extendatur. Volumus quoque, precipimus et ordinamus quod Bononienses extrinseci civitatem ipsam et eius districtum, postquam generalis pax de parte ad partem, ut praedicitur, extiterit confirmata, intrare, in ipsis habitare ac degere, et ex tunc tam intrinseci quam extrinseci bona sua excollere, illisque uti de cetero, sicut cives bononienses et re et nomine libere valeant, et eorum pacifica possessione gaudere, exceptis illis, quantum ad ingressum civitatis de parte Lanbertaciorum, quos, ex certis causis, pro quiete civitatis eiusdem, ad tempus extra civitatem ipsam, in locis vel loco per nos deputandis vel deputando, manere providerimus, per nos vel alium, prout de locis vel loco aut tempore huiusmodi duxerimus ordinandum. Ceterum, ut novelli pacis surculi delectabili amenitate concrecant, et, nullis illis ventis plicantibus, sub diligenti custode virescant, et cuiuslibet suspicionis subtractis eventibus caritativis connexibus saltem mixtis primordiis radicentur, et eadem connexitate reflectant odoris gratiam, simul aut idem per omnia precepturi, non minus utile quam necessarium fore providimus quod regimen eorundem civitatis et districtus, pro anno proximo futuro, vel maiori tempore, prout pro qualitate negotii expedire videbimus, exerceatur per aliquam personam deputandam a nobis, quae regimen ipsum gerens statuto, ordinamento vel reformatione aliqua factis hactenus contra aliquos, vel occasione partis aut alias, et obviantibus iuri et potestate, seu per quae aliquis innocens personaliter vel realiter pretextu alicuius privilegii vel statuti aliquibus per comune concessis contra iusticiam puniretur, quomodolibet non ligetur, vel regimen ipsum impediatur in aliquo; sed potius statuta, ordinamenta, et reformationes huiusmodi taliter facta vel facienda, immo presunta vel presumenda, ne ex eis provenire possit sintilla odii vel rancoris, cassamus et irritamus omnino, et volumus quod pro cassis de cetero habeantur. Per hoc autem non intendimus quod eadem per nos ad ipsum regimen deputanda persona non iuret illa servare statuta et consuetudines alias adprobatas, quae iuri consona, et etiam equitate fundata, ac iniuncta vel facienda, tam ibidem quam in aliis civitatibus et locis Italiae, ad statum prosperum populorum, quietem civitatum et locorum eorundem, consueverunt pacifice observari; sed illa per eam iurari volumus et servari quatenus equa fuerint paci ac presenti ordinationi nostrae non repugnancia, nec dominio nostro et ecclesiae Romanae obsistencia, vel obviancia ecclesiasticae libertati. Et quia nemo tenetur in aliorum serviciis propriis stipendiis militare, dictam personam, per nos ad ipsum regimen ut praedicitur, deputandam, [quinque] iudices, septem notarios, tres socios et decentem familiam regimen huiusmodi prosesequendo habere volentes, ipsi pro se et pro iudicibus et notariis, sociis,

et familiaribus supradictis pro uno anno, computando a festo beati Petri proximo futuro, septem millium librarum bononiensium salarium percipiendum ab ea de bonis comunis Bononie deputamus.[Page 36]

Habeat quoque XL beroarios pedites in expensis comunis eiusdem, scilicet ad salarium trium librarum bononiensium parvorum singulis mensibus pro quolibet, qui beroarii non computentur in ordinata vel ordinanda familia potestatis. Nec volumus quod pro eo [quod] dictum regimen pro pacifico statu civitatis et civium bononiensium, ut predicitur, ad tenpus nobis adsumimus, ipsis Bononiensibus in eorum privilegiis, iuribus et consuetudinibus circa electionem vel aliam provisionem ipsius regiminis, prout eis de iure, privilegio vel consuetudine competet, in futurum aliquod preiudicium, quantum ad possessionem vel proprietatem, quomodolibet generetur; sed ad eos, postquam prefatum regimen dimiserimus, electio et provisio huiusmodi, sicut habuerunt actenus, et eis de iure competere poterat, libere revertatur. Preterea, ut manus presidentis in patria firmioribus vallata subsidiis, pro comuni pace civitatis eiusdem et partium vicinarum, possit gubernare pacificos, et, cum expedierit, refrenare rebelles; et ut tantum comune Bononie, quod pro comuni utilitate civitatis ipsius et totius provincie Romaniolae, non sine multa providentia, ordinatum fuit, sicut eius commodum sentiatur ab omnibus, ita honus comuniter subportetur, et ne, si totum subportaretur Bononiensibus honus huiusmodi, assererent se gravatos, et nisi deceret quod qui tantum bonum cum aliis pariuntur, honus ipsi soli portarent; precipimus, ordinamus et volumus quod trecenti milites vel armati equites et plures, sicut nobis videbitur expedire, tam per ipsos Bononienses, quam per alios de Romaniola, stipendiantur comuniter, secundum modum contributionis de ipsis stipendiis faciende per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum, quos vel rectori provincie, vel futuro potestati Bononie deputare proponimus, prout quieti civitatis et utilitati proprie predictorum ac subiectorum eorundem viderimus expedire. Ordinamus insuper et volumus quod reformatio consiliorum [et] officialium civitatis eiusdem fiat de comuni consensu parcium earundem, si infra terminum per nos vel alium, cui hoc commiserimus, presignandum, talis possit haberi consensus; alioquin ipsam reformationem et modum ipsius nobis plenarie reservamus, exercendum per nos, vel alium, cui duxerimus committendum.

/*

Verum quedam societas esse dicitur in civitate predicta, que societas Crucis inibi nominatur; circa cuius conditionem et merita, nec minus eius effectum, proponimus maturius, ad quietem eorundem civitatis et civium, cogitare, ut exinde prosperitatis commoda, dante Deo, subsequantur. Et ideo provisionem huiusmodi societatis omnimodam, et eam contingencium nobis specialiter reservamus, monentes et expresse mandantes quod Rolandinus Passagerii seu quivis alius de capitanaria, rectoria vel quovis alio officio sive administratione ipsius capetanarie, quocunque nomine censeatur, se interim nullatenus intromittant, donec super hoc per nos aliter provisum extiterit et etiam ordinatum. Statuta quoque societatis ipsius, vel eius occasione a comuni facta, et effectus eorum suspendentes ad presens, ipsorum moderationem,[Page 37]

correctionem et abrogationem nobis, prout expedire viderimus, reservamus. Ad quod videlicet circa ordinationem societatis ipsius et ordinationem de ipsa societate, utrum scilicet vel qualiter debeat remanere, et in quibus personis, videlicet de hiis, qui nunc sunt in societate predicta, vel esse dicuntur, aut alias tam de ipsis et aliis, sub modis et formis, de quibus secundum Deum tranquillitatem civitatis eiusdem expedire viderimus, prout nobis manifestabit Altissimus, intendemus.

Porro, sicut nostre solitudinis studium nos providere compellit, et frequenter audivimus, ac interdum experimento didicimus, societates et conventicula seu coniurationes inlicitas in civitatibus parient sectiones, et per hoc status variatur earum; unde, futuris periculis, que possent ex hoc in civitate bononiensi contingere, obviare cupientes, ut inibi vere unitatis integritas conservetur; ordinamus, precipimus et mandamus quod nulle de cetero in predicta civitate societates seu coniurationes aut alia conventicula, quocunque nomine censeantur, ibidem erigi vel creari valeant, aut assumi, nec ipsarum aliqua aut aliquo quovis titulo instituta sive instituenda, armorum exercitiis, unde consueverunt scandala provenire, se ingerant quomodolibet, vel congregentur in comuni, absque mandato potestatis ponende per nos, ut predicitur, civitatis eiusdem, vel sine ipsius licentia speciali.

Ad maiorem vero premissorum omnium firmitatem, volumus et arbitrando precipimus quod Castrum Sancti Petri et Castrum Franchum, ac alia, de quibus expedire videbimus, castra in manibus nostris vel aliorum de mandato nostro, in omnibus expensis ipsorum Bononiensium tassandis per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum, custodienda tradantur, infra predictum festum s. Petri, restituenda in posterum Bononiensibus supradictis, prout et quando videbimus expedire.

Similiter quoque ab utraque parte obsides, quot quot et quando petierimus, nobis assignari precipimus, in expensis comunis Bononie tassandis, per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum, in locis vel loco, de quibus vel de quo expedire videbimus, si eos receperimus, custodiendos, et etiam retinendos usque ad nostre beneplacitum voluntatis, sperantes quod hiis omnibus, eterno Patre prosperante, civitas ipsa quietis incrementa suscipiet, et nos in illa delectabiliter, iuxta nostra desideria, expiatis quibuscumque turbinum odiis, quiescamus. Ut igitur contra premissa vel horum aliquod, que servari volumus, venientis culpe qualitas pene mucrone percellat, preter penam quinquaginta millium marcharum argenti, a parte parti solenpni stipulatione promissam, cuius pene medietas parti observanti, et alia medietas romane ecclesie debet solvi; refectionis quoque danpnorum et expensarum litis et extra, ad quam penam partem non servantem solvendam, ut premititur, condenpnamus ex nunc; qua soluta vel non, ac danpnis et expensis restitutis vel non, predicta omnia nichillominus in sua remaneant firmitate, in omnes predictam pacem, quantum in eis fuerit, non recipientes, aut non facientes [aut ipsam frangentes, seu quomodolibet violantes, vel quominus ipsa fiat seu servetur

impedientes], et in non exhibentes obsides et castra, ut predictur, ac impedientes assignationem eorundem, in non recipientes quoque potestatem per nos inibi statuendam iusta ordinationem premissam, vel quantum in ipsis fuerit hoc impedientes; Bononienses quoque, tam intrinsecos quam extrinsecos, civitatis et districtus eiusdem, in non parentes precepto, ordinationi et voluntati nostris super exhibitione stipendiorum, sic mature pro comuni omnium illarum partium utilitate provisa, vel hoc impedientes, in omnes quoque non parentes precepto, ordinationi et voluntati nostris, sed obsistentes predictae ordinationi nostre, quominus Bononienses extrinseci civitatem ipsam et eius districtum intrare, in ipsis habitare ac degere ac ex tunc tam intrinseci quam extrinseci bona sua excollere, illisque uti de cetero, sicut superius[Page 38]

est expressum; preterea in omnes contra reservationem ordinationis, omnimode moderationis, correctionis et abrogationis nostre per nos faciendarum, circa condenpnationes et merita, nec minus effectum societatis, que dicitur societas Crucis in civitate predicta, et suspensionis statutorum societatis ipsius, sicut superius est expressum, venire temere presumentes, ac inhiibentes et non restituentes, si possibilitatem habeant, bona predicta, iuxta ordinationis arbitrii et precepti nostri tenorem; excommunicationis sententiam promulgamus. Si vero comune predictum premissa et eorum singula non servaverit, illud omnibus iuribus, iurisdictionibus, privilegiis, libertatibus, districtu vel comitatu privamus. Et volumus quod ea omnia, ex nunc, ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Et nichillominus comune predictum, propter hoc, ecclesiastico subiaceat interdicto; singulares etiam persone cuiuscunque conditionis ac status extiterint, in premissis et eorum quolibet delinquentes, potestariis et aliis publicis officiis, ac etiam, si sint doctores legum, iudices aut notarii, simili auctoritate privamus, ac eorum etiam filii et nepotes descendentes ab ipsis omnium beneficiorum ecclesiasticorum, si qua optinent, privationem poterunt non inmerito formidare, et quod reddantur inhabiles ad illa vel alia ulterius optinenda. Medietatem quoque omnium bonorum taliter delinquentium, ex nunc, eidem ecclesie nichillominus confiscamus.

Quod si, quod absit, ipsum comune vel aliqua partium in premissis inhobedientes forsan extiterint, volumus quod comune predictae civitatis et pars huiusmodi ac eorum bona pro expensis, que contra comune seu partem rebellem, propter hoc, fieri contingerint, obligari possint per eandem ecclesiam ad expensas huiusmodi restaurandas.

Reservamus quoque [nobis] expresse in hiis omnibus et quolibet premissorum quacunque fuerint apostolica seu arbitraria potestate fulcita, ordinandi, diffiniendi, statuendi, decernendi, dicendi, precipiendi, mandandi, arbitrandi, corrigendi, emendandi, interpretandi, declarandi, addendi et mutandi, quotiens et quando nobis videbitur expedire, plenariam potestatem.

Nulli ergo."

Item, eo anno, scilicet M.CC. LXXVIII, indictione VII, die lune X mensis iulii, mortuus fuit d. Manfredus de Nordigliis de Imola, quem occiderunt Suçus de Lauçano et Galixius condam domini Uspinelli de Imola, propter cuius mortem fuit in civitate Imole magnus rumor, ita quod steterunt armati omnes Imolenses, ex utraque parte, diu noctuque, et fecerunt seragla; nam pars de Nordigliis aseraglavit se ad portam Alonis, et pars Mendullorum ad portam de Spuvigla, et sic armati omnes steterunt quousque dominus Bertoldus comes Romaniole venit Imolam.

Item, eo anno, fuit maximum siccum, ita quod non pluit a mense aprilis in antea, usque ad medium mensem septenbris, et calor maximus fuit in dicta estate, et Faventini vindemiaverunt omnes de mense augusti, propter uvas, que erant mature, et propter danpna, que fiebant in vineis a forensibus, qui stabant in civitate Faventie.

Item, eo anno, de mense septenbris, d. Bertoldus comes Romanie ivit ad civitatem Ravenne, et fecit concordiam inter intrinsecos et extrinsecos de Ravenna, ita quod, die dominica X intrante septenbri, illi, qui erant extra Ravennam, intraverunt Ravennam, scilicet dominus Guilielmus Franciscus, qui erat dominus domus Traversariorum de Ravenna, dominus[Page 39]

Guido Riçius de Polenta, dominus Vincencius filius condam domini Honesti domini Saladini, cum eorum sequacibus de parte Traversariorum, et dominus Vitalis et Ubaldus de Saxo, cum eorum sequacibus de parte Comitum.

Item, eo anno, dominus Bertoldus comes Romanie et dominus Latinus cardinalis et apostolice sedis legatus habuerunt magnum tractatum pacis faciendo et conplende, inter partem Geremiorum intrinsecorum de Bononia et partem Lanbertaciorum extrinsecorum.

Et sic, Domino cohoperante, qui omnia potest virtute sua, predictus dominus comes Bertoldus fecit exire omnes de parte Lanbertaciorum, qui erant in civitate Favencie, et qui venerant ibidem ipsa occasione, de civitate Faventie, die mercurii XXVII mensis septenbris, tam milites quam populares; et hospitati sunt, ea nocte, in civitate Imole et apud Castrum Sancti Petri. Demum, die iovis sequentis, in mane, omnes iverunt versus civitatem Bononie, et, cum magno honore, intraverunt ipsam civitatem Bononie: verumtamen multi et multi de parte Geremiorum non viderunt eos libenter, nec bono animo. Dominus tamen comes Bertoldus, qui erat potestas Bononie, fecit regimen suum honorifice. Et, de parte Lanbertaciorum, iverunt ad confinia quadraginta quinque, secundum sententiam summi pontificis; aliqui ex eis iverunt Pisas, et aliqui Mantuam, nomina quorum fuerunt hec.

Andreas filius condam d. Castellani de Andalo.

D. Çese condam d. Ariverii de Carbonensibus.

D. Petrus condam d. Bergadami.

D. Philippus de Abaisio.

Bertolinus de Abaisio.

D. Albertus d. Gualterini de Machagninis.

Iacobus cd. d. Branchaleonis de Lanbertaciis.

D. Ariverius cd. d. Alberti Çançardi de Carbonensibus.

D. Benedictus Guiçardini.
D. Uguicio de Titalasinis.
D. Castellanus cd. d. Peveratii de Sturlittis.
D. Lodorengus cd. d. Bonifacii de Sturlittis.
D. Aldrovandinus de Malatacchis.
D. Ardicionus de Rustiganis.
Albiçus de Rustiganis.
D. Henrigittus Martini Agnelle.
D. Petrizolus Rainerii de Feraria.
Minus filius d. Soldani de Albaris.
D. Uguicionus de Guarinis.
Michaelae de Maranensibus.
Çacharias de Maranensibus.
D. Thomaxinus de la Pelle.
Dominus Benvenutus de Ursis.
Iacobinus domini Sirripere de Ursis.
Albiçus condam domini Zapironis de Ursis.
Matheus de Pizicottis.
Grimaldinus de Grimaldis.
Dominus Rolandus de Terrafoclis.
Dominus Guidottus de Barufattis.
Dominus Iohannes de Villanova.
Dominus Spagnolus Abbatis legum doctor.
Dominus Conte de Butrio iuris peritus.
Dominus Bonromeus doctor legum.
Dominus Guerra de Fuscardis.
Dominus Petrus de Asinella.
Dominus Passavante domini Munsarelli.
Dominis Odericus de Castro Britonum.
Dominus Çoennus de Castro Britonum.
Dominus Guilielmus de Scanabicis.
Dominus Castellanus de Scanabicis.
Dominus Guido cd. d. Alberti de Principibus.
Dominus Matheus Dominus Ricardinus} d. Bartolomei de Principibus
Dominus Ençius cd. d. Açolini de Lanbertaciis.
Dominus Fabrucius cd. d. Thomaxini de Lanbertaciis[Page 40]

Eodem anno, millesimo ducentesimo LXXIX, indictione VII, die primo mensis novenbris, dominus Paulus de Arete intravit regimen civitatis Faventie, loco et pro vicario domini Bertoldi comitis Romaniolae, qui fuit electus potestas Faventie per unum annum.
Die lune XX mensis novenbris, dominus comes Bertoldus potestas Bononie exivit civitatem Bononie et venit Imolam; die mercurii sequenti tunc venit Faventiam.
Et, die dominica postea sequenti, ivit Forlivium; et postea ivit Cesenam, ubi stetit per plures dies. Postmodum, in die mercurii XIII mensis decenbris, ivit Ariminum.
Et tunc tenporis rumores magni surrexerunt inter partes [civitatis] Bononie, propter quos rumores civitas Faventie fuit in magno tumultu. Unde contigit quod potestas Faventie fecit requiri omnes magnates utriusque partis civitatis Faventie, et ipsi iverunt ad mandata ipsius, et erant firmati in pallacio comunis; et sic, rumoribus Bononie crescentibus, omnes Faventini fuerunt ad arma, et illi de parte Acharixiorum, armata manu, iverunt ad pallacium comunis, et violenter conduxerunt et fecerunt descendere omnes Acharixios, qui erant detenti in dicto pallacio: et, dicta de causa, multi de amicis partis Acharixiorum de extra Faventiam venerunt Faventiam; propter quod magnates de parte Manfredorum recesserunt, et omnes eorum amici de Faventia quidam recesserunt extra Faventiam, et quidam se absconderunt: et hoc fuit die sabati XXIII decenbris. Sequenti vero die dominica, que erat vigilia nativitatis Domini nostri Ihesu Christi, tota pars Mendullorum de Imola, propter timorem partis Geremiorum de Bononia, exivit civitatem Imole, et, ipsa die, venit ad civitatem Faventie. Tunc vero, predictis rumoribus portatis ad dominum comitem Bertoldum, qui erat Arimini, in continenti rediit retro, et, in die lune nativitatis Domini, post nonam, iuxta vespertas, venit ad civitatem Faventie, ubi honorifice visus fuit, et incontinenti versus Imolam properavit, cum equitibus suis, et duxit secum omnes Imolenses, qui erant Faventie; et, cum fuerit sero ad civitatem Imole, non fuit receptus, [et fuerunt] sibi elevate porte civitatis Imole, propter quod rediit [ad civitatem] Faventie cum dicta parte Mendullorum de Imola: p[ostea], die [XXVI], martis sequentis, ipse dominus comes Bertoldus equitavit, cum militibus suis et cum militibus de Faventia, ad Bagnacavallum, eo quod intellexerat quod partes de Bagnacavallo male stabant ad invicem, et quelibet ipsarum partium mittebat pro guarnimentis. Ea vero die, illi de parte Manfredorum recesserunt palam de civitate Faventie, et Acharixii et eorum amici sociaverunt eos usque extra civitatem Faventie, et hoc fecerunt propter timorem partis Lanbertaciorum, qui veniebant ad civitatem Faventie moraturi.
Eo vero tenpore, die veneris XXII mensis decenbris, prelium magnum fuit inter partem Geremiorum et partem Lanbertaciorum de Bononia, in platea comunis Bononie, et etiam in pluribus contratis de Bononia, ubi plures et multi ex utraque parte occisi fuerunt. Et, ipsa die, in sero, dicta pars Lanbertaciorum expulsa fuit extra civitatem Bononie, et aufugerunt illi de ipsa parte per montana, et tunc erat tempus valde horribile, quia nungebat et pluebat fortiter: et sic accidit quod, die iovis IV exeunte dicto mense decenbri, reducerunt se in civitatem Faventie, et domus illorum de parte Manfredorum de Faventia fuerunt illis concesse

His vero diebus, illi de parte Geremiorum, qui habuerunt dominium civitatis Bononie, multos occiderunt de parte Lanbertaciorum, in domibus, in quibus eos inveniebant; domos et omnes illorum de parte Lanbertaciorum destruxerunt et igni cremaverunt. Item, dicta die dominica, in nocte, que erat vigilia nativitatis Domini, fuit positus ignis in pallacio populi civitatis Forlivii, et totum palacium combustum est. Item, in anno Domini millesimo CC.LXXX, indictione VIII, die veneris XII mensis ianuarii, in civitate Faventie, dominus comes Bertoldus comes Romaniolae fecit parlamentum, in quo fuerunt anbaxiatores cuiuslibet terre provincie Romaniolae; et condenpnavit partem Geremiorum de Bononia et societatem Crucis et alias societates et confaloneros, et multos de magnatibus magnarum domorum dicte partis Geremiorum, et etiam illos de parte Briciorum de Imola, in maximis quantitibus argenti, deditque eis terminum X dierum ad sua mandata veniendi. Item, die dominica XIV dicti mensis ianuarii, apparuit quedam stella clara et lucida versus orientem, post nonam, ante horam vesperarum; quam homines et mulieres plurime viderunt, et, in nocte sequenti, fuit maximus terremotus in civitate Faventie. Item, eodem anno, die XIII mensis marcii, venerunt ad civitatem Ravennae anbaxiatores partis Briciorum de Imola, et, cum retortis ad gulam, extractis capuciis et biretis, genibus flexis in terram se prosternentes, fecerunt libere mandata domini Bertoldi comitis Romaniolae. Sequenti vero die, statim, venerunt et anbaxiatores partis Geremiorum de Bononia ad mandata ipsius. Postea, die sabati XVI marcii, dictus dominus comes ivit ad civitatem Imole, et, ante quam intraret ipsam civitatem, fuerunt elevate porte ipsius [civitatis, que prius] erant prostrate, ita ut ipse dominus comes et ceteri, pertimescens [et] tremescens, avertit sub eis. Et, die martis [sequenti] XIX marcii, illi de parte Mendullorum, qui erant extra Imolam, reversi fuerunt, et intraverunt ipsam terram ad habitandum eorum domos. Item, die martis II mensis aprilis tunc sequentis, venit comunis syndicus comunis Bononie, quod tunc erat pars Geremiorum, et iuravit et promisit obedire mandatis domini comitis Bertoldi, et cum eo fuerunt anbaxiatores dicti comunis; et ipse dominus comes precepit dicto sindaco, nomine dicti comunis, quod, deinde ad X dies, faceret venire Imolam centum obsides minus V pro dicta parte, et totidem obsides mandavit sibi dari a parte Lanbertaciorum tunc Faventie commorantium. Item, die iovis IV eiusdem mensis aprilis, dominus Guido Acharixii de Favencia, electus capitaneus civitatis Pisarum, ivit ad dictam capitananciam faciendam honorifice et potenter, et cum magna et decenti societate et familia, et quatuor anbaxiatores de Faventia socia[verunt eum usque ad Pisas]. Eodem anno, die lune penultimo mensis aprilis, dominus Thebaldellus de Çanbraxiis maritavit filiam suam dominam Çanbraxinam, et, honorifice, cum multitudine equitum, duxit eam usque ad sanctum Rofillum, ubi erant omnia preparata; et ibidem fuit desponsata a Tano suo marito, filio condami domini Ugolini Fantulini, et postea ducta fuit ad Rontanam; et habuit in dotem, in rebus mobilibus extimatis, circiter quingentas viginti libras ravennates.

Item, eodem anno, de mense madii, dominus Bertoldus comes Romaniolae habuit obsides ab utraque parte Bononiensium, et ipsos misit ad Castrum Sancti Petri, ad hoc ut ibi melius essent securi. Item, die sabati XVIII mensis eiusdem maii, fuerunt in civitate Imole anbaxiatores electi pro utraque parte, scilicet Lanbertaciorum et Geremiorum, ad hoc ut invicem, coram domino cardinali Latino legato apostolice sedis, et coram domino comite Bertoldo, essent ad tractandum pacem et concordiam inter eos; quam tractare vel facere nullatenus potuerunt. Eodem anno, die sabati XXVII mensis iulii, post nonam, frater Novellonus civis faventinus, de ordine fratrum Penitentiae terciae ordinis sancti Francisci, de hac vita migravit ad Dominum. Et erat tunc iacens infirmus apud locum fratris Laurentii heremite Camaldolensis ordinis, in civitate Faventie, ubi obiit; et, eo die, universus clerus civitatis Faventie, cum populo et gente innumerosa virorum et mulierum, levaverunt ipsum fratrem Novellonum de loco illo, portantes eum, cum maximo gaudio et honore, ad maiorem ecclesiam beati Petri Faventie, ubi omnes habitantes Faventie, tam mares quam femine, cives et forenses, traxerunt; et quicumque de suis indumentis accipere poterat, plurimum gaudebat, quoniam sicut sanctum ipsum habent, et veraciter ipsum sanctum penes Deum credunt et tenent, propter bonam et honestam et asperimam vitam, et magnam penitentiam, quam egit in vita sua. Nam die noctuque verberabat carnes suas, stando in maximis ieiuniis et orationibus et penitentia et conversatione perfecta, agens ad limina beati Iacobi apostoli XI vicibus in vita sua, ex quibus V vicibus nudis carnibus perexit, verberando se continue et macerando corpus suum, sicut in vita ipsius descripta plenarie invenitur; propter que universus populus civitatis Faventie, tanquam beatum confessorem habentes, cum honore maximo ad eius exequias interfuerunt, cum potestate, ançianis et consulibus et toto consilio, cum cereis et honore magno ad missam et officium Dei cantandum, et honorem faciendum corpori sancto predicto. Et hoc fuit die dominico XVIII iulii; postmodum vero, diebus multis sequentibus, multa et magna et propicia Deus omnipotens, propter merita dicti fratris Novellonis, miracula facere est dignatus, sicut in descriptione vite ipsius veraciter continetur. Eodem anno dominus Bertoldus comes provincie Romaniolae fecit fieri exercitum supra quoddam castrum, quod vocatur Monteveclum, supra Forlivium, quod tenebat Çapitinus, in quo castro Valbonenses dicebant se ius habere; et hoc exercitum factum fuit ad petitionem et instanciam Valbonensium, et precibus totius partis eorum Romaniolae et Geremiorum de Bononia, et ibidem stetit dictus exercitus per plures menses. Cumque timeretur per amicos Çapitini ne castrum vinceretur, surexerunt Branchaleo de Andalo cum comitiva sua, eques et

pedes, et comites Guilielmus et Petrus de Castrocario, et Guido de Bonelda de Forlivio, cum eorum guarnimento, ut darent auxilium Çapitino et illis, qui cum eo erant obsessi in castro Montisvecli. Et, die dominica XVIII mensis augusti, perexerunt in comitatum Forlivii, accipientes plura castra, scilicet Imeldolam et Civitellam, incendentes etiam plures domos et pallearia per Valbonam et illas contratas, sperantes quod propterea illi de exercitu separarent se ab ipso exercitu; quod propterea non fecerunt. Dum vero dominus Bertoldus comes predicta intellexit, statim exiens civitatem Imole, cum gente et stipendiariis suis, desuper civitatem Faventie, iuxta Sanctum Prosperum et per Tiglaveriam properavit, Imeldolam dirigens gressus suos; quod castrum Imeldole ab ançianis populi Forlivii traditum fuit sibi, et ibi stetit aliquot diebus.[Page 43]

Item, eo anno, die mercurii XVI mensis octubris, Biniellus filius condam Çanis de Biniellis de Imola et Coradus filius condam domini Nichole de Cancellariis de Imola, existentes in civitate Faventie, in qua venerant, et se separaverant a confinibus, causa tractandi et faciendi infrascriptam prodicionem, tractaverunt et ordinaverunt quod Suçus de Lauçano et Galixius condam domini Guidonis Huspinielli de Imola irent, cum eis et cum quibusdam aliis, causa lucrandi, et in servicium predictorum Binielli et Coradi, qui tractaverant et ordinaverant prodicionem et tradimentum eorum: et, ipsa nocte, iverunt supra Imolam ad quandam tunbam Petri..... Et, sicut placuit dictis Biniello et Corado, ipsi duo, et predicti Galixius et Suçus cum eis, intraverunt dictam tunbam: tandem, sicut fuerat ordinatum, supervenerunt multitudo magna amicorum illorum de Nordiglis, et, circumdantes ipsam tunbam, ceperunt predictos Galixium et Suçum. Dictus vero Suçus, non permittens se conduci, occisus est et nequiter interfectus, et dictus Galixius, cum retorta ad gulam, ductus fuit in domum Nordiglorum in Imola, ubi fuit, per potentiam Nordiglorum, plurimum tormentatus, inperante domino comite Bertoldo. Postmodum vero fuit condenpnatus ut, cum retorta ad gulam, traheretur ad caudam asini, et suspenderetur per gulam, ita quod moreretur. Et sic actum est, die iovis XVII mensis octubris; quam prodicionem fecerunt predicti Biniellus et Coradus precio magno.

Item, eo anno, dominus comes Bertoldus, qui trahebat moram in civitate Imole, intelligens discordiam esse in partibus suis magnam, et quod cardinales, super electione summi pontificis facienda, non poterant concordare; videns etiam quod homines de Romania sibi obedire nolebant propter sua mala opera, que fecerat, et quia magis favebat parti Geremiorum de Bononia et suis sequacibus de Romania, quam parti Lanbertaciorum de Bononia et eius sequacibus de Romania, immo per omnia faciebat quidquid pars Geremiorum vole[bat et] ab eo petebat, et restituerat ipsis Geremiensibus obsides eorum, quos ab [eisl acceperat pro pace et concordia facienda et conservanda; die lune XXI mensis octubris separavit se de civitate Imole, cum uxore et familia sua tota et stipendiariis, ducens secum et portari faciens omnes obsides, quos habebat a parte Lanbertaciorum.

Millesimo ducentesimo LXXX, indictione VIII.

Ex abundantia cordis hos loquitur, et neffandissimam iniuriam et offensam crudelissimi Thebaldelli de Çanbraxiis civis faventini narrare cupiens, quam post ludam Scarioht mercatorem pessimum auris non audivit, oculus non vidit, in cor hominis non ascendit, nec fuit aliquatenus perpensatam. Dum enim esset dominus civitatis Faventie, sicut et ceteri catanei et magnates, qui fovebant partem Acharixiorum et Lanbertaciorum de Bononia commorantium in eadem, de quo etiam omnes populares et amici sui, tanquam de ipsorum personis propriis, confidebant; facta strage vivencium amicorum suorum, deliberatoque consilio et assensu cum illis, qui suam paternam et fraternam carnem manducaverant, tractatuque habito cum parte[Page 44]

Geremiorum de Bononia et eorum sequacibus de Romania, omnes, tanquam Herodes et Pilatus facti sunt amici. In die mercurii XIII novenbris anni presentis, in mane summo, [ante quam illu]cesceret, fractis ferramentis et ianuis porte Imilie sive Imolensis, quam pre ceteris [conser]vabat, in civitatem Faventie introduxit Fantullinum et Tanum filios condam domini Ugolini de Fantullino, cataneos de Saxadello, comitem Bernardinum de Cunio, fratrem Alberigum et Manfredum de Manfredis, dominum Guidonem de Polenta de Ravenna, Nordiglos de Imola, partem Geremiorum de Bononia, cum omnibus et singulis eorum et quorumlibet predictorum sequacibus. Qui omnes, tanquam leones avidi et intenti ad predam ipsam civitatem irruentes, quotquot potuerunt gladio occiserunt, alios vulnerantes, alios carceribus recludentes, reiectis et expulsis atque fugatis omnibus de parte Acharixiorum et Lanbertaciorum, quibusdam ex eis armatis, aliquibus inermibus, et multis ex ipsis absque pannis et calciamentis propriis; ita ut, ante horam tercię dicti diei mercurii, relictis domibus et spoliis singulorum, ipsa civitas Favencie, plena bonis omnibus, pane scilicet atque vino, carnibus vivis et mortuis, pannis et pecuniis infinitis, in dominio predictorum derobatorum remansit. Qui Deum pre oculis non habentes, nec considerantes quod multa et infinita mala et danpna potuerunt in eorum personis et bonis aliis retroactis tenporibus evenire, tanquam canes famelici domos intrantes, derobaverunt eas; ecclesias insuper et loca religiosa, specialiter domos, [locum et] ecclesiam sancti Iohannis evangeliste fratrum Heremitanorum, domos, [locum] et ecclesiam sancti Francisci fratrum Minorum de[robant]es omnibus rebus et bonis, tam illorum, qui in ipsis domibus scanpaverant, quam etiam ipsarum domorum et fratrum. Et audite inmanitatem, et videte inhumanitatem crudellissimorum et inpiorum Christianorum, qui, non contenti bonis et rebus et substanciis eorundem, ipsos sacerdotes et clericos et religiosos ac etiam plurimos laicos, qui timentes ad ecclesias confugerant, et exclamaverant in eisdem, sicut homicide et omnes malefici possunt exclamare et refugium habere de iure, alios occiderunt, alios mortis articulo vulnerarunt, alios duris carceribus intruserunt. Illi vero, qui ex ipsa civitate[Page 45]

Faventie evaserunt, reducentes se personaliter ad Liviensium civitatem, ibi benigne tractati fuerunt, et, tanquam mater filios proprios, sunt recepti.

In dicta vero expulsionem et proditiōem sic facta, mortui fuerunt gladio infrascripti: dominus Scanabiccus de Magarottis, Iacobus de Magarottis, d. Iacobinus Salvestri, d. Vivianus Çuffoli de Burgonovo, d. Petriçolus de Feraria, d. Graciadeus Faxiolus, Andriolus de Çachariis, magister Bonacaptus de Albarexanis, Petrus et Ventura fratres carpenterii de Mutina, magister Franciscus aurifex de Parma, dominus Ugolinus filius magistri Timidei de Medicis, Bitinus condam domini Scarpillini.....

.....[et alii] infiniti. Et tunc, statim et in continenti, factus fuit potestas [civitatis] Favencie..... dominus Guidoctinus de Prendipartibus de Bononia.

Congregatis de illis maioribus predictorum dictam victoriam optinendum, Scribis etiam et Fariseis et Samaritanis, tanquam impiissimi Herodis nuncii et ministri, cum gladiis et fustibus, ecclesiam et domos fratrum Minorum de sancto Francisco circundantes, hostiliter irruerunt, quotquot invenerunt infantes ultra X menses et infra, qui confugerunt ad ecclesiam memoratam, nequiter occiderunt, quorum innocentium infantium puerorum sanguis ad omnipotentem Deum, elevatis in altum vocibus, cotidie clamare non cessat: "Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth." Postmodum vero, priorem et fratres heremitanos, commorantes apud locum et ecclesiam sancti Iohannis evangeliste de porta Montanaria, de ipso loco et civitate Faventie nequiter expulserunt, et etiam guardianum et fratres Minores loci sancti Francisci, propter quod magna abominatio fuit contra eos, et inimicis eorum dedit Deus victoriam super eis. Item, eo anno, dum frater Cosparius de Guiglarinis de Lugo, Gardamonus Caçanimici et Bonaventura Palixie honorabiles cives civitatis Faventie, de mandato potestatis, essent ad confinia apud Pergolam, capti fuerunt ibidem, et ducti Faventiam et positi in prexonia et turri comunis Faventie, variis iniquis tormentis et questionibus tormentati: et, quia nihil dignum mortis actum est eis, condenpnati fuerunt per dictum potestatem in perpetuis carceribus moraturi.

Item, eo anno, de civitate Forlivii exierunt pedites in quantitate CCC die.... intrante decembri, et iverunt in districtu Faventie [usque ad] sanctum Rofillum, et [ibi multas do]mos incenderunt, [arbores et vineas igni crema]verunt, et XXII homines [dicti castr]i ceperunt, ad civitatem Forlivii conducentes eos et [ponentes] in carceribus, taglam quingentarum librarum ravennatum imponentes eisdem.[Page 46]

Item, anno sequenti millesimo CC.LXXXI, indictione nona, die XV mensis februarii, milites et populares Faventie commorantes equitaverunt ad castrum Aurioli, iuxta tractatum aliquorum de ipso loco, qui proditorie dabant eis castrum predictum, et, sicut Domino placuit, non potuerunt eorum desiderium adimplere; sed homines eiusdem castr[is], ad arma confugientes, eo quod erat nocturno tempore, se viriliter defenderunt, et illos in fugam converterunt, et plures ex eis occiderunt gladio, et plures in carceribus retruserunt.

Item, eo anno, ad papatum assumptus est dominus Simon de Turonis gallicus, cardinalis romanus, qui electus fuit in odium domus Ursorum de Roma et eorum sequacium, et ad postulationem et de voluntate domini Ricardi de Anibaldis, et per potentiam domini regis

Karuli; qui electus et cathedratus fuit in die festivitatis cathedre sancti Petri, de mense februarii.

Et vocatus ac denominatus fuit postea dominus papa Martinus quartus.

Item, eo anno, die IV mensis marci, filia [domini] regis Rodulfi electi in imperatorem, [venit] ad civitatem Bononie, cui omnes milites et populares [per]sone obviam perexerunt cum maximo honore [et triumpho recipientes] eam, portantes super capud eius baldachinum honorifice; [et in ipsa] civitate fuit desponsata pro filio principis Apulie, qui est filius domini regis Karuli, et hoc fuit per mediam personam, scilicet a quodam suo procuratore.

Item, eo anno, die veneris XIV mensis marci, laudabilis ac illustris vir dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus populi civitatis Forlivii, aliquot de maxenata sua parari iussit, mandans eis ut, versus Faventiam properantes, facerent taliter, si possent, quod Favencie commorantes exirent Faventiam, et quod ipsi de maxenata se fugari permetterent ab eisdem; et, si hoc contingeret, quod ipsi nuncios eorum Forlivium mitterent ad dominum comitem supradictum.

Qui stipendiarii, iusta mandatum domini comitis Faventiam equitantes, intraverunt infra circlam, que vulgari eloquio conominatur Durbeccus, intrinsecis Faventinis existentibus in renacio Faventie, causa inquirendi et investigandi stipendiarios, qui erant in numero quatuorcentum. Et, audito rumore, qui insonuit in civitate, occasione maxenate, que intraverat dictam circlam Durbecchi, statim relinquentes mostram, quam facere inceperant,[Page 47]

occurrentes tam milites quam populares Faventie commorantes, venerunt ad dictum burgum Durbecchi, et, insultantes maxenatam, viriliter remiserunt eos extra serallium dicti burgi, illis de maxenata se fugari permittentibus, prout fuerat ordinatum. Et statim nuncios eorum Forlivium transmiserunt, asserentes quod Faventini omnes exiverant civitatem; qua propter, incontinenti, dominus Gulielmus Franciscus dominus domus Traversariorum potestas Forlivii, cum militibus duarum portarum, in occursum maxenate properavit: postea [vero] dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus populi, cum aliis duabus portis militum, et cum domino Francisco domini Bellabranche capitaneo partis Lanbertaciorum, et militibus dicte partis et partis Acharixiorum Forlivii commorantium, exiens, versus Faventiam properavit; inventisque illis de Faventia, viriliter insultantes eos, manu violenta dictum serallium Durbecchi abstulerunt eisdem, et ipsos Faventinos in fugam conversos usque ad portas burgi Porte Pontis remiserunt, qui, statim intrantes, ianuas firmaverunt. Verum illi, qui extra burgum remanserant, alii gladio sunt perempti numero ultra centum, alii in flumine subfocati, et, in canali burgi predicti, mortui fuerunt; in carceribus ducti Forlivium numero ducenti et ultra, propter quod conflittum Faventie commorantes timuerunt valde perdere civitatem, et multi ex eis Imolam affugebant. Item, eo anno, die sabati XXIX mensis marçii, magnificus et illustris vir dominus comes Guido comes Montisfeltri capitaneus Forlivii, cum milicia et populo eiusdem civitatis optime munitis, et cum extrinsecis de Bononia, Favencia et Imola et aliarum terrarum Forlivii

commorantibus, equitavit in districtum Faventie ad quandam terram, que vocatur Sarna, ubi destruxerunt de clusa comunis Faventie, que erat in flumine Alamonis. Incenderunt etiam per dictam flumanam ultra ducentas domos et albaretos et pallearea, spargendo vina in maxima quantitate, et incidendo vineas et arbores, et, ea die, reversi sunt ad civitatem Forlivii. Item, eo anno, die mercurii II mensis aprilis, dictus comes Guido, cum dicta gente sua, hostiliter, cum equis copertis et paratis ad bellum, equitavit versus Faventiam in burgum Durbecchi, ubi fecerunt tres acies militum et duas acies popularium absque guastatoribus, et unum tripellum militum, qui cum eodem domino comite morabatur, et ibi fecit fieri magnum guastum vinearum et arborum incisarum, et multas domos incendio concremari usque prope burgum Porte Pontis: fecitque destrui et dirrui portam Durbecchi, et splanari de ripa circle comunis in maxima quantitate. Et nemo ausus fuit exire civitatem Faventie; et, ea die, reversi sunt Forlivium.

Item, eo anno, die sabati XVII mensis madii, illustris ac magnificus vir dominus comes Guido comes Montisferetri capitaneus populi Forlivii, et nobilis ac potens vir dominus Guilielmus Franciscus dominus domus Traversariorum de Ravenna potestas civitatis Forlivii, cum milicia et populo eiusdem civitatis et omnibus stipendiariis in ipsa civitate permanentibus, fecerunt exercitum seu hostem iuxta civitatem Ravenne, ubi fuerunt etiam milites et populares civitatis Cesene, Britonorii et Forumpopilii et Cervie, et, in bladis et arboribus et vineis et coredis, omnia destruxerunt, et, usque prope portam civitatis ipsius, guastum maximum intulerunt, ipsa die et nocte; ac, die dominica tunc sequenti, in sero, ad civitatem Forlivii honorabiliter redierunt, incendentes omnes domos, quas invenerunt per vias, quibus redierunt; in quo exercitu ultra Xm. tornaturas bladi destructe sunt, arbores quoque et vinee infinite.[Page 48]

Item, eo anno, die dominico XXV mensis madii, fuit maximum prelium inter Mediolanenses et eorum sequaces ex una parte, et illos de la Turre et de Laudo et patriarcham de Aquilea, qui erat de illis de la Turre, ex altera, iuxta flumen Adde; et, facto magno prelio et conflictu, mortuus fuit dominus Cassonus de la Turre, et multi alii de dicta domo, et remanserunt in campo mortui ultra mille, exceptis captis et subfocatis in dicto flumine, qui fuerunt sine numero, et, sicut publice dictum fuit, inter captos et mortuos fuerunt ultra tria millia.

Item, eo anno, anbaxiatores comunis Forlivii et partis Lanbertaciorum iverunt ad curiam domini pape in civitate Urbisveteris, ubi erant dominus rex Karulus, anbaxiatores partis Geremiorum de Bononia, et dominus archiepiscopus de Ravenna et comes Dadeus Novellus de Montefeltro. Et ibidem dicti anbaxiatores et sindici comunis Forlivii et partis Lanbertaciorum male recepti fuerunt et male visi, ita quod coram summo pontifice nullam misericordiam potuerunt habere, neque iustitiam; immo habuerunt repulsam, et eos de curia oportuit separare, et reversi sunt Forlivium: quare, ad tractatum partis Geremiorum et eorum sequacium, electus fuit per dominum papam rector et comes Romanie, scilicet dominus Iohannes de Apia de Francia, consiliarius domini regis Karuli, et, habita militia frequenti a summo pontifice et rege Karulo et aliis terris, a quibus summus pontifex voluit petere auxilium, venit dictus comes Iohannes de Apia ad civitatem Bononie, et postea ad civitatem Imole et Faventie, ubi gentem suam et stipendiarios congregavit. Et, die veneris XX mensis iunii, venit cum gente sua et milicia et populo Bononie, Imole et Faventie, usque ad locum, ubi dicitur Cosna, inter Faventiam et Forlivium, ubi omnes castrametati sunt ea die, et eorum vexilla et tentoria et travaccas et tendas posuerunt ibidem.

Ante vero quam ad dictum exercitum accederent, idem dominus Iohannes de Apia comes suas transmiserat literas speciales ad comune Forlivii, mandans quod deberet expellere comitem Guidonem de Montefeltro et omnes forenses in civitate Forlivii commorantes. Item misit literas ad ipsum dominum comitem Guidonem de Montefeltro capitaneum Forlivii, ut de civitate Forlivii et tota Romania se separare deberet. Item misit literas ad partem Lanbertaciorum, mandans eis quod de civitate Forlivii et tota Romaniola discedere deberent, et misit eis certum terminum ad predicta; quod facere noluerunt, eo quod dicta precepta maximam iniquitatem et iniustitiam continebant.

Item, die dominico proxime sequenti XXII iunii, moverunt exercitum de ipso loco, et posuerunt eorum tentoria et tendas in loco ubi dicitur Villanova, intra districtum Forlivii, ibique steterunt V diebus; singulis vero dictis quinque diebus, faciebant parari milites exercitus[Page 49]

eorum armis et equis, facientes et ponentes acies ipsorum militum usque prope locum infectorum, faciendo spanari fossata ex utraque parte strate usque [ad ecclesiam] sancti Bartoli: in nocte vero diei iovis, [adveniente] die veneris XXVII mensis iunii, levarunt canpum et exercitum totum, et posuerunt super currus eorum omnia inpedimenta et munitiones suas, tendendo versus Faventiam, et sic omnes, tam milites quam pedites, ante horam tertie dicti diei veneris, recesserunt. Verum dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus Forlivii dictis diebus singulis, quibus predictus exercitus stetit in dictis locis, faciebat milites de sua maxenata exire Forlivium, et quotidie stabant ad guardiam faciendam iuxta sanctum Bartolum, ita quod homines et mulieres secure poterant laborare et colligere fructus.

Item, eodem anno, die martis octavo intrante iulio, dominus Iohannes de Apia comes, cum stipendiariis suis et archiepiscopo Ravenne, et cum illis, qui tenebant [Ravennam, equitavit] ad locum et castrum, quod vocatur Traversaria, ibique factum et inceptum fuit prelium, et per vim ceperunt quandam circlam, que erat ante dictum castrum, intra quam circlam dominus [Guilielmus] dominus domus Traversariorum fecerat poni.....

et timuerunt valde propter trunbittam, quam audiverunt sonantem, nam maxenata, intra circlam, ibat circum terram pro custodia faciendam; et propterea reversi sunt retro. Illi vero, qui tractaverant dictam prodictionem, ipsa nocte simul se congregaverunt in quodam canpo

triticum domini Guidonis Bonatti, iuxta serallium memoratum, et, videntes vero quod eorum tractatum non poterant adimplere, et se deinde separantes, aliqui aufugerunt, aliqui segati fuerunt per medium, a capite usque ad pedes, per sententiam latam per illustrem virum dominum Guidonem comitem de Montefeltro capitaneum generalem, alii vero fuerunt dampnati in exilium, et eorum bona comuni Forlivii confiscata, et domus eorum funditus sunt destructe. Die vero iovis tunc proxime sequenti, IV intrante septenbri, dictus dominus Iohannes de Apia, cum Bononiensibus, Imolensibus et Faventinis et omnibus eorum amicis de Romaniola, et stipendiariis Gallicis, Romanis et Canpagnolis, fecit exercitum generalem supra civitatem Forlivii, et campum posuit in loco, ubi dicitur Sanctus Petrus in Archu, ibique stetit VIII diebus. Die vero veneris XII dicti mensis, levavit campum de dicto loco, et posuit exercitum suum in loco, ubi dicitur Foranigus, ibique mansit tres dies. Die deinde dominico XIV dicti mensis, levavit campum de ipso loco, et perexit ad locum et villam sancti Martini in Strata, ibique traxit moram duobus diebus. Et, die martis tunc sequenti, omnes de dicto exercitu equitaverunt armata manu versus civitatem Forlivii, usque ad fossatum circle, que est ad burgum Ravaldini, ibique fuit quedam bataglola, in qua mortuus[Page 50]

fuit unus magnus de Francia, et unus alius vulneratus fuit et portatus ad exercitum, et mortuus est ibidem: equi etiam plurimi, de illis de ipso exercitu, vulnerati fuerunt. Postea vero levaverunt campum et venerunt ad pontem Runchi, conburentes omnes domos de Sancto Martino et etiam de ponte predicto.

Et, die veneris XIX dicti mensis septenbris, equitaverunt omnes, tam milites quam populares de ipso exercitu, et equitaverunt ad civitatem Ravennae.

Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, indictione decima. Dictus dominus Iohannes de Apia comes Romaniole fecit exercitum generalem supra civitatem Forlivii.

Eo tempore dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus civitatis Forlivii, et ipsum comune Forlivii, et omnes forenses de Bononia, Imola, Faventia, Ravenna et Bagnacavallo degentes tunc temporis in ipsa civitate Forlivii, miserunt ad romanam curiam eorum ambaxiatores solenniter, ad pedes summi pontificis, misericordiam implorantes humiliter et devote, quam non potuerunt aliquatenus obtinere. Dicebat namque summus pontifex quod comune Forlivii deberet expellere de ipsa civitate omnes forenses in ipsa civitate degentes, et eorum familias, mares et feminas. Forenses vero dicebant quod parati erant exire civitatem Forlivii, supplicantes ut placeret sibi designare eis certum locum, ubi vellet ipsos trahere moram suam; ipsi vero expulsi erant de terris eorum, nec ipsos reducebat ad eas, unde necessitatem habebant in loco aliquo commorari; dicentes etiam: "Nostris de terris et habitationibus nostris inique et contra iusticiam deieci sumus, et ideo placeat summo pontifici nobis destinari certum locum, ubi possimus trahere nostros mansus, ut sic abimus civitatem Forlivii". Quod quidem dominus papa Martinus eis facere denegavit, et sic repulsam de romana curia nequiter receperunt.

Dum vero dictum comune Forlivii expectaret exercitum fieri generalem, ecce quod, quodam die iovis, ultima mensis aprilis, in sero post cenam, dictus dominus Iohannes de Appia comes Romaniole, movens se cum gente sua et toto guarnimento, quod in civitate Faventie fecerat congregari, accessit ad civitatem Forlivii, et, sicut fecerat ordinari per aliquos pedites probatos viros, ipsa nocte intrari fecit burgum civitatis eiusdem, qui erat extra portam Sclavanie, furtive subintrando stechatam circle, que erat ad serallium Colunbe, usque ad serallium burgi de Rupta, derobantes domos dictorum burgorum, ipsasque domos incendio concremant; ipsaque nocte omnes res mobiles, quas in dictis burgis habere potuerunt, et etiam homines, qui a gladio evaserunt, ad civitatem Faventie conduxerunt. Dum vero illi, qui erant in civitate Forlivii, viderent incendia burgorum suorum, omnes surgentes a somno, tam mares quam femine, traxerunt ad stechatam civitatis eiusdem, admirantes plurimum ac etiam dubitantes de hiis, que videbant contingere, et de incendio burgorum suorum. Sole autem relucente, die veneris primo mensis sive kalendarum maii, vir prefatus illustris et sapiens[Page 51]

dominus comes Guido de Montefeltro capitaneus civitatis Forlivii proclamari fecit, publica voce preconia, per civitatem eandem, quod omnes et singuli, tam milites quam populares, qui erant in civitate Forlivii, deberent se congregare in platea civitatis eiusdem, absque alicuius mero dispendio; quibus ibidem armatis viriliter et potenter, idem dominus comes parlamentum fecit, et multa et varia ibi dixit, confortando plurimum omnes gentes suas ut viriliter omnes se gererent et haberent, scientes quod sua erat intentio et voluntas exeundi versus inimicos et preliandi cum eis. Et sic statim, iuxta mandatum ipsius, omnes, tam milites quam populares, cives et forenses, armati, cum eorum equis copertis et suprainsigniis eorundem, exiverunt[Page 52]

per portam Rupte, et eorum acies militum et peditum condiderunt, et in campo steterunt intra dictam circlam, ita parati utraque pars, usque post horam nonam; tandem, appropinquantes se invicem, inceperunt prelium viriliter et potenter, et maxenata Francixenarum dicti comitis Romaniole irruit supra maxenatam comunis Forlivii, et separavit eos ab invicem, et diruta fuit ipsa maxenata, et ita in continenti multi de dictis Francixenis equitaverunt versus portam Rupte, quam apertam invenientes, introierunt civitatem Forlivii, equitantes per ipsam terram et proclamantes: "Nostra est terra! Cavaler, Munçoi!" et multas mulieres et pueros et vetulos occiserunt. Dominus vero comes Guido de Montefeltro de isto facto nihil sciebat, sed, cum populo et milicia civitatis Forlivii, viriliter agredientes exercitum comitis Romaniole, in fugam eos posuerunt, et debellati sunt et mortui.

Verum multi et multi de forensibus commorantibus in Forlivo, videntes Francixenas ita equitantes per terram, aufugerunt alii Cesenam, alii Britonorum et ubicunque poterant. Postea vero, dum comes Guido de Montefeltro et Forlivienses viderent stragem de exercitu comitis Romaniole, audiverunt Francixenas intrasse civitatem eorum, versus eos viriliter

equitantes, omnes occiderunt, et, ex illis, qui intraverant civitatem Forlivii, nullus omnino evasit, quin mortis periculum substineret, ita quod omnes illos et alios, qui mortui remanserunt in campo et fossatis civitatis eiusdem, conpertum est quod ultra octo millia occisi fuerunt. Capti vero fuerunt, et consignati Forlivium, bene trecenti; equi vero fuerunt consignati in quantitate VIIIc., absque occisis et suffocatis, qui fuerunt ultra quam ducenti. Mortui vero fuerunt, ea die et in dicto conflictu, inter ceteros de melioribus et magnatibus, qui essent in exercitu dicti comitis Romanie, videlicet dominus Dadeus Novellus comes de Montefeltro, dominus Thebaldellus de Çanbraxiis, Fantullinus domini Ugolini Fantullini, Comaçius domini Conradini de Ravenna, Rangonus [de Thomais] de Faventia, comes Guido Malabuccha de Bagnacavallo, Ugolinus et Thomaxinus de Meço de Manfredis Faventie, Guilielmus de Scannabichis de Bononia, Virundus de Asinellis de Bononia, dominus Guido de Acharisiis de Faventia. Item, eodem anno, predictus dominus Iohannes de Apia comes Romaniole pro sancta romana ecclesia reassumpsit vires, et, faciens moram in civitate Faventie, misit suas literas per nuncios atque anbaxiatores ad summum pontificem et ad dominum regem Francie et ad dominum regem Karulum, significando eis ea, que sibi contigerant; verum contigit quod iterum habuit maximam maxenatam militum, et, de mense augusti eiusdem anni, fecit exercitum generalem supra quoddam castrum in districtu Forlivii, quod vocatur Imeldola; in quo exercitu moram traxit per tres menses et ultra, cum manganis et edificiis et aliis parametis: postea vero, videns quod nichil sibi proficiebat, fecit exercitum elevari, et abiit ad civitatem Faventie.

Item, eodem anno, comites de Castrocario concordaverunt cum dicto comite Romaniole, et reddiderunt Castrocarium ipsi comiti, et hoc fuit ante quam dictus exercitus fieret supra Imeldulam.

Item, eodem anno, illi de Scicilia fecerunt magnam rebellionem contra regem Karulum, occidentes omnes Francisenas, qui erant in Scicilia, et elegerunt in eorum regem donpnum Petrum infantem regem Aragonum, qui, cum gente maxima, intravit dictum regnum Scicilie. Verum dominus res Karulus, hoc audito, traxit versus Sciciliam, et quia ipsum recipere noluerunt illi de Scicilia, fecit rex Karulus exercitum generalem supra Missinam, et manganos et[Page 53]

alia edificia ibidem construi; tamen nichil sibi profecit, sed elevari fecit exercitum, et rediit in Calabriam, ubi moram traxit per totum iemem anni eiusdem.

Millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, indictione XIII, die Epiphanie Domini, que est die quinto intrante ianuario, dominus rex Karulus bone memorie de domo Francie obiit et migravit ad lucem: cuius corpus conditum fuit in civitate Barlette.[Page 54]

Eodem anno, die VI exeunte marcio, dominus papa Martinus obiit in civitate Perusii.

Eodem vero anno, die secundo intrante apreli, electus est summus pontifex dominus papa Honorius, qui fuit dominus Iacobus de Sabello de Roma, qui erat cardinalis.

Item, factus est comes Romaniole pro sancta romana ecclesia dominus Guilielmus Durantis, qui postea factus est episcopus Mimatensis.

Millesimo ducentesimo LXXXV, indictione XIII, die septimo exeunte martio, in quo die fuit Pasca resurrectionis Domini nostri Ihesu Cristi, occisus fuit gladio Aldrovandinus de Argoglosiis de Forlivio, quem occiderunt illi de Calbuli.

Dicto anno, die mercurii secundo intrante madio, occisus fuit gladio Manfredus de Manfredis et Albergittus eius filius cum eo similiter; et ipsos occiderunt Franciscus filius condam Albergitti de Manfredis et Ugolinus filius fratris Alberici de Manfredis, in presentia dicti fratris Alberici, in castro Seçate subtus Faventiam, in prandio, quod ibidem faciebant in domo et castro dicti Francisci, dum ipsi omnes veniebant a confinibus a civitate Ravenne, de licencia domini Guilielmi Durantis tunc comitis Romaniole. Et, ad eos occidendos, fuit Surrucius de Petrella et alii VI cum eis, qui omnes, occasione dictorum homicidiorum, exbaniti fuerunt per dictum comitem et per comune Faventie. Postea dictus comes condenpnavit predictos tres, scilicet Albericum, Franciscum et Ugolinum, in sex millibus libris Bononie, et quemlibet aliorum in mille libris Bononie.

Procedente postea tenpore, dum predictus frater Albericus et sui non possent a dicto comite licentiam optinere domum eorum Faventie redeundi, et essent dispersi, nam aliqui ex eis stabant ad Pratumveclum, quod est castrum comitis Guidonis Salvatici ultra alpes, in Tuscia, aliqui morabantur apud Sosenanam et in podere Maghinardi Pagani de Sosenana, fecerunt predicti frater Albericus et alii de domo sua concordiam et pacem cum Acharixiis de Faventia et eorum amicis, et desponsavit dictus Ugolinus Boçola in uxorem sibi dominam Patriciam filiam Guidonis de Glauçano, et abinde in antea cogitaverunt ita facere, quod redirent in civitatem Faventie, quocunque modo possent. Et, congregatis amicis eorum, dum essent predicti frater Albericus et Franciscus ad confinia apud castrum Aurioli, et Ugolinus Boçola esset apud Sosenanam cum Maghinardo Pagano, cum toto eorum exforcio, eques et pedes, die XV intrante augusto, anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, equitaverunt versus[Page 55]

Imolam causa occupandi ipsam terram, et hoc fecerunt ad postam et de voluntate Nordiglorum, qui tunc erant potentiores in Imola. Verumtamen, quia marischalcus domini comitis Romaniole erat ibi, et quia populus ipsius civitatis non permisit predicta fieri, non potuerunt aliquid optinere, immo fuerunt expulsi dicti Nordigli de Imola, et domus eorum fuerunt destructe, et cum eis erant Gintillinus de Sassadello et Burniolus Canpalmonte.

Postea vero, eodem die, venerunt Faventiam, et ibi non fuerunt bene recepti. Demum euntes versus Forlivium, ibidem aliqui de amicis Argoglosorum, qui similiter concordaverant cum dictis Manfredis, insultantes aliquos de maxenata dicti comitis Romaniole, plures occiserunt et plures expullerunt, accipiendo eis equos eorum; tamen contigit quod non potuerunt dicti Manfredi et Maghinardus intrare Forlivium, et sic oportuit eos redire apud Sosenanam,

cum multis eorum amicis de Forlivio, qui cum eis tenebant: et tunc fuerunt destructe domus illorum de Guiriolis et Salinbenne Dadoli et aliorum plurimorum de Forlivio. Eo anno, congregatis amicis Manfredorum et eorum sequacium apud Sosenanam, equitaverunt versus Rontanam, in districtu Faventie, ipsumque montem optinuerunt et infortiaverunt contra voluntatem dicti comitis Romaniole, et, facto guarnimento eorum et dicti Maghinardi et fidelium suorum et amicorum eorum undecunque, tam militum quam peditum, equitaverunt versus civitatem Faventie die sabati XVI intrante novenbri. Et, ipso die, intraverunt civitatem Faventie, expellentes omnes stipendiarios dicti comitis Romaniole, et aliquos occidentes. Eodemque die equitaverunt ad civitatem Forlivii, et quandam fortiliciam, quam fecerant illi de Forlivio in contrata Sclavanie, violenter insultantes, ceperunt eandem, et habuerunt dominium civitatis Forlivii et Faventie. Et factus fuit tunc potestas Faventie dominus Maghinardus Paganus de Sosenana, et vocatus fuit etiam tunc potestas civitatis Forlivii; tamen paucis diebus stetit in potestaria civitatis Forlivii. Hiis ita currentibus, supervenit alius comes novus in provincia Romaniole, videlicet dominus Petrus Stephani proconsul romanus, qui venit in ipsam provinciam.

Anno domini millesimo ducentesimo LXXXVII, indictione XV, die iovis tercio intrante aprili, obiit dominus papa Honorius de Sabellis de Roma.

Dictus vero dominus Petrus Stephani comes Romaniole misit ad confinia Manfredos et Acharixios, cum aliquibus amicis eorum de civitate Faventie, et Argoglosios et Ordelaaffos de Forlivio, et comites de Castrocario; et Manfredos mandavit ut deberent stare Mutine, Acharixios vero ultra alpes in Tuscia.

Eo vero anno fuit potestas civitatis Faventie, per totum annum, dominus Thebaldus de Bruxatis de Brixia

Eodem vero anno dictus dominus comes petiit a dictis confinatis quod darent et facerent depositum, penes thesaurerium ecclesie romane, de quinquemille florinis aureis. Illi vero de Forlivio fecerunt depositum pro eorum parte, et habuerunt licentiam redeundi Forlivium.

Petiit quoque, idem dominus comes, ab eis, securitatem XXXm. librarum ravennatum, et talliam militum, quos tenere debebat, quas Forlivienses dare modis omnibus recusarunt.

Item, die dominico XVIII mensis maii, reversi sunt Manfredi et Acharixii et Maghinardus[Page 56]

Paganus de Sosenana ad civitatem Faventie, cum magno gaudio, contra precepta et mandata domini comitis Romaniole.

Eodem vero tempore facta fuit societas et compositio inter comune Forlivii et comune Faventie. Et tunc dominus Malatesta venit Forlivium, ibique fecit pacem inter Argoglosios et Calbolenses, de morte Aldrovandini de Argoglosiis; postmodum vero ivit Faventiam, et fecit pacem inter comites de Cunio et Manfredos, occasione mortis Manfredi de Manfredis et Albergitti eius filii, eo quod filia dicti Manfredi erat uxor Alberici filii comitis Bernardini de Cunio. Et iste tales concordie et paces fuerunt facte ad defensionem eorum faciendam contra dictum dominum comitem Romaniole.

Et ista omnia facta fuerunt de mense iunii eiusdem anni; et similiter facta fuit pax et concordia inter comites de Castrocario et Calbolenses.

Eodem vero anno, dum dictus dominus Malatesta se de Forlivio separaret cum gente sua, et erant in quantitate LXX equitum armatorum, et dum iret versus civitatem Arimini, per quandam stratam de Cervia ad Ariminum, ecce quod supervenerunt milites domini comitis Romaniole, cum filio eiusdem domini comitis, facientes insultum contra predictos, qui erant cum dicto domino Malatesta, vertentes eos in fugam; et ceperunt dominum Iohannem Malateste consanguineum domini Malateste et multos alios de illis, qui cum eo erant; et, debellatis eisdem, ad civitatem Cesene duxerunt, et multos equos perdiderunt in ipso conflictu.

Et predicta fuerunt die XIV mensis iunii anni predicti M.CC.LXXXVII, indictione XV.

Interim tamen magnus tractatus fuit inter predictos comitem Romaniole et Forlivienses et Faventinos et dominum Malatestam. Et facta fuit concordia, ita quod comune Arimini solvit dicto comiti quatuor millia libras ravennates, pro recuperatione dicti domini Iohannis Malateste et aliorum captorum. Et comune Forlivii et comune Faventie dederunt bonos fideiussores dicto comiti de faciendo deposito de octomille florinis de bono auro; et ipse dominus comes fecit pactum cum eis, et suspendit omnes processus et banna factus et data dictis comunibus Forlivii et Faventie et singularibus personis et amicis dictorum communium, et quod faceret ita quod dominus papa consentiret; propter que factum fuit depositum comunis Forlivii quatuor mille florinorum de auro apud Venetias, et comune Faventie fecit depositum apud Florentiam.

Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, indictione XV, die iovis XII mensis augusti, obiit dominus Vivianus episcopus faventinus, qui habebat de frumento veteri duomillia corbes, et de illo nolebat vendere, donec valeret corbis frumenti XX solidos Bononie.

Eodem anno capitulum ecclesie Faventine elegit dominum Lotterium de la Tosa archidiaconum florentinum in episcopum faventinum, precibus et instancia domini Maghinardi de Sosenana. Et dicta electio facta fuit die lune XVIII mensis augusti, apud monasterium sancti Petri in Sala de Laderclo, in diocesi Imolensi, pro eo quod civitas Faventie et eius diocesis erat supposita ecclesiastico interdicto.

Et, die martis, ultimo mensis septenbris eiusdem anni, venit dictus dominus Lotterius electus[Page 57]

Faventiam, et, cum eo, maxima societas maiorum clericorum de Florentia et nobilium militum eiusdem terre. Et ipse dominus electus hospitatus fuit, ea die, apud locum sancte Perpetue. Et postea, die martis sequenti, equitavit Ravennam ad recipiendam confirmationem sue electionis, et confirmatus fuit per dominum Andream archidiaconum lunensem et cardinalem Ravenne, vicarium domini fratris Bonifacii archiepiscopi ravennatis, qui tunc tenporis erat in Francia. Et venit Faventiam die secundo intrante octubri, et descendit ad maiorem ecclesiam

episcopalem sancti Petri, ubi erant omnes clerici civitatis et [omnes] fratres Minores et Predicatores, et fuit bus et incenso et positus in corporalem possessionem episcopatus Faventie per dominum cardinalem Ravenne, dando sibi de pannis variis altaris s. Petri apostoli. Et postea, incontinenti, ivit ad palatium suum Faventie.

Eodem anno Ugolinus Boçola filius domini fratris Alberici de Manfredis desponsavit et duxit uxorem dominam Patriciam filiam domini Guidonis de Glauçano de Acharixiis, die dominico XXIV mensis novenbris indictione XV.

Eodem anno infrascripti cardinales Rome de hac vita decesserunt: dominus Guittofredus de Alatro, dominus Ugo de Anglia, dominus Gervasius de Parixio, dominus Iordanus de Ursinis, dominus decanus parixiensis, dominus Ancerius de Francia.

Item, eodem anno, die XX mensis decenbris, suprascriptus dominus Lotterius episcopus Faventie recepit consecrationem in civitate Ravenne, et rediit Faventiam die XXII dicti mensis.

Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, indictione prima, [in primis sex men]sibus fuit potestas Faventie dominus Gerardus de Tornaquincis [de Florentia], et in secundis [sex mensibus fuit] potestas dominus Hostaxius de Polenta de Ravenna.

Eodem anno factus est papa dominus Ieronimus de Asculi cardinalis romanus, qui erat de ordine fratrum Minorum beati Francisci, et fuis electus die XXII februarii, et vocatus fuit dominus Nicholaus papa quartus.

Eodem anno die mercurii VII intrante mense aprilis, dominus Petrus Stephani comes provincie Romaniole separavit se de provincia et recessit, pro eo quod alius comes electus fuit per dominum papam.

Item, eodem anno, dominus Comes cardinalis obiit in civitate romana.

Eodem anno venit in provinciam Romaniole dominus Armannus de Monaldischis de Urbeveteri comes Romaniole pro sancta romana ecclesia, et intravit provinciam die XII intrante maio, et, die iovis XIII dicti mensis, venit Faventiam, ubi maximum recepit honorem.

Item, fecit dictus comes parlamentum generale in civitate Forlivii, die dominica XVI mensis maii.

Item, eodem anno, de mense maii, dominus Malatesta de Veruculo, qui fuerat et steterat dominus et potestas civitatis Arimini, fuit expulsus de ipsa civitate, et reduxit se ad dictum[Page 58]

comitem Romaniole, et, tempore procedente, Iohannes Çottus filius eiusdem domini Malateste occupavit poçum Montis Archangeli in comitatu Arimini. Et dominus comes predictus fecit indici et proclamari exercitum generalem per totam provinciam Romaniole, et fuit exercitus usque ad plebem, que vocatur plebs Sancte Iustine, in strata publica, iuxta civitatem Arimini per duo milliaria; postea dictus exercitus ivit ad Sanctum Archangelum, et ibidem stetit exercitus tribus diebus, et postmodum dictus exercitus separavit se, et redierunt omnes de Romaniola ad domos eorum.

De mense vero octubris tunc sequenti, accidit quod Malatestinus filius dicti domini Malateste et Philucius de Esio et multi alii reduxerunt se in castro Montis Scutoli, in comitatu Arimini, et, in continenti, comune Arimini misit exercitum ad dictum castrum, et fecerunt exercitum generalem, ita quod illi, qui erant in dicto castro, non poterant se separare; quare dominus comes Romaniole fecit proclamari exercitum generalem in auxilium predictorum, qui erant in dicto castro Montis Scutoli, et finaliter ceperunt illi de Arimino dictum castrum et omnes quotquot erant in eo, et duxerunt captos ad civitatem Arimini.

Postea supervenit dominus Iohannes de Colunpna marchio anchonitanus, et venit Ariminum causa componendi inter comune Arimini et dominum Malatestam, et primitus extraxit de prexonia dominum Philipucium de Esio et omnes alios de Marchia, qui tunc temporis capti fuerunt. Et tractavit pluribus diebus cum comite Romaniole et cum illis de Arimino de concordia facienda; non tamen potuit illam perducere ad effectum.

Millesimo ducentesimo LXXXIX, indictione secunda, fuit potestas Faventie pro primis sex mensibus dominus comes Alexander de Romena, et dominus Guilielmus comes de Castrocario fuit capitaneus populi. Dicto tempore obiit dominus frater Bentevegna cardinalis romanus, in die beate Marie, de mense marcii, in civitate romana.

Eo anno dominus papa Nicholaus ivit, cum tota curia, ad Reathem, et ibidem, in die... coronavit dominum Karulum filium regis Karuli in regem Scicilie.

Eo anno comune Florentie, quod erat pars Guelforum, fecit exercitum generalem contra Aretinos, qui tenebant civitatem Ariçii pro parte Ghibellinorum, et, dum essent in exercitu, volendo ire supra Bibenam, que erat castrum episcopi Aretini, exierunt illi de Ariçio contra eos, et invicem preliati sunt, ita quod in conflictu mortuus est gladio dominus episcopus aretinus dominus Guilielminus de Paçis Valdarni, d. Rainerius eius frater, Federicus de Ubertis de Florentia et multi alii, et hoc fuit die festi sancti Barnabe apostoli, die XI intrante mense iunii. Et, in continenti, dictum comune Florentie, cum toto suo exforcio et amicis Tuscie, fecit exercitum generalem supra civitatem Ariçii, et steterunt in dicto exercitu per tres septimanas, et postea levaverunt canpum, et reversi sunt domum.

Eo anno, die XVI mensis iunii, fuit magnum prelium inter comitem Atrabatensem, cum militia et gente sua, in partibus Calabrie, in loco, ubi dicitur et inter donpnum Iacobum filium olim domini Petri regis Aragonie.[Page 59]

Eodem anno dominus Maghinardus Paganus de Sosenana fuit potestas Faventie pro ultimis sex mensibus, videlicet a kallendis iulii usque ad kallendas ianuarii, et dominus Rigus de Meçovillanis de Bononia fuit capitaneus eo tempore.

Eodem anno dominus Opiçus marchio de Feraria factus fuit dominus in perpetuum civitatis Mutine, et ivit ad ipsam civitatem, et eam tenuit in bono statu, et accepit uxorem filiam domini Alberti de la scala de Verona, et eam duxit Mutinam, cum maximo gaudio et triumpho.

Eodem anno comune Arimini posuit castrum Savignani, ipsumque infortiavit in odium

domini Malateste, unde dominus Hermannus de Monaldensibus comes provincie Romaniolae fecit exercitum, ex omnibus gentibus dicte provincie congregatis, supra dictum castrum Savignani, de mense augusti, et elevavit ipsum exercitum de eodem mense.

Eodem anno, de mense augusti, venit in provinciam Romaniolae dominus Rixardus de Alatro vicarius domini Stephani de Colunpna electi in comitem provincie Romaniolae, et dominus Hermannus de Monaldensibus recessit.

Item, in eodem mense, venit in ipsam provinciam dominus Petrus Saracinus episcopus vicentinus legatus apostolice sedis, et dominus frater Bartholomeus episcopus grossetanus, qui fuerat similiter legatus, recessit. Et omnia castra, que comune Arimini tenebat, data sunt in custodiam dicti legati pro ecclesia romana, et similiter omnia castra, que tenebat dominus Malatesta.

Eodem anno, de mense septembris, comes Coradus filius olim comitis Dadei de Montefeltro accepit civitatem Urbini, et omnes amicos domini Malateste de ipsa terra eiecit, et illos, qui erant de parte Ghibellinorum, reduxit in ipsam terram. Quare dominus Iohannes de Colunpna marchio marchie Anconitane fecit eum requiri ut redderet sibi, et noluit, immo eam infortiavit; et dictus marchio cepit comitem Dadeum fratrem dicti Coradi: postea fecit exercitum congregari supra Urbinum, et, die veneris XXIII dicti mensis septembris, dedit prelium maximum a tribus vel quatuor locis circum terram, et multi de ipsa terra, qui erant intus, levaverunt insignia, ita quod habuerunt terram ipsam.

Eodem anno M.CC.LXXXIX, indictione secunda, die XII intrante dicenbri, supradictus dominus Stephanus de Colunpna Romanorum proconsul, comes provincie Romaniolae, venit ad dictam provinciam, et intravit civitatem Arimini dicta die, ubi honorifice est receptus; deinde venit ad civitatem Cesene, die mercurii XIV eiusdem mensis decembris, ubi cum honore maximo est receptus.

Die vero iovis sequenti idem dominus comes fecit equitem dominum Raulem de Maçolinis de Cesena, in maiori ecclesia Cesene, cum honore maximo, et ibidem erant dominus Bonifacius archiepiscopus Ravenne, dominus Petrus episcopus vicentinus legatus apostolice sedis, dominus [Guido] episcopus ariminensis, et multitudo gentium infinita, qui dominus legatus missam cantavit in honorem beate Marie virginis. Demum, post prandium, dictus dominus Raule equitavit ad potestariam civitatis Mantue, et predicti domini eum sociaverunt, cum tota militia stipendiariorum, usque extra civitatem Cesene.[Page 60]

Millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione tertia, die martis XXVII mensis decembris, predictus dominus Stephanus comes Romaniolae venit ad civitatem Forlivii, ubi honorifice est receptus. Et, die iovis XXIX decembris, ibidem suum fecit parlamentum, ubi fuerunt anbaxiatores de Bononia et de qualibet terra provincie memorate; ibique firmatum fuit quod ipse dominus comes haberet liberum arbitrium in omnibus et per omnia, et talliam militum ad suam omnimodam voluntatem.

Eodem vero anno, in kallendis ianuarii, dominus Simon de Lanbertinis de Bononia intravit regimen, et fuit potestas Faventie pro primis VI mensibus, et dominus Maghinardus de Sosenana fuit capitaneus illo tempore.

Die iovis, quinto intrante ianuario, dictus dominus comes venit ad civitatem Faventie, ubi honor maximus sibi fuit factus.

Die vero lune, nono dicti mensis ianuarii, ivit comes ad civitatem Imole, ubi similiter magnum recepit honorem.

Postea ivit Ravennam. Deinde rediit Ariminum, ubi multis diebus moram traxit, causa tractandi pacem et concordiam inter dominum Malatestam et suos sequaces ex parte una, et comune Arimini ex altera.

Eodem anno dictus dominus Stephanus comes fecit pacem et concordiam inter dominum Malatestam et illos de Arimino, et reduxit ipsum dominum Malatestam in Arimino, et alios, qui erant extra, cum eo.

Postea vero dictus comes misit ipsum dominum Malatestam et filios suos ad confinia apud Ronchofredum, quod est castrum ipsius domini Malateste. Et erat potestas Arimini dominus Ursus filius condam domini Napulionis de filiis Ursi de Roma.

Eodem anno, dum familia mariscalchi dicti domini comitis iret per civitatem Arimini, quodam sero diei mercurii XXVI mensis aprilis, incepta fuit quedam rixa inter illos de familia dicti mariscalchi et familiares dicti Ursi potestatis Arimini, propter quam misclam dictus potestas fecit pulsari canpanam populi, que erat supra turri pallacii, in quo ipse potestas habitabat, et, ad sonum ipsius canpane, traxit populus et dominus Martinus Cataldus, qui erat conductor et quasi dominus totius populi Arimini; et inceptum fuit prelium, ita quod est dictis popularibus, cum vesillis et balistis et armis, eques et pedes, venerunt versus pallacium[Page 61]

comunis, ubi habitabat dictus comes, preliando et prociendo lapides; et amici domini Malateste reducerunt se in trivio illorum de Seclano, et ibidem se defenderunt a popularibus, et etiam in pluribus aliis locis, in quibus turre et domus iactabant lapides, et prelium magnum fuit factum cum militibus et maxenata dicti domini comitis; in quo prelio multi equi fuerunt vulnerati et mortui, et etiam homines de maxenata predicta plures vulnerati. Et, nisi Montagna de Parciatibus fecisset retrocedere populares, bene accepissent pallacium dicto domino comiti. Sed, ad ipsius instantiam, ea nocte recesserunt, et prelium dimiserunt. Interim tamen fracta fuit posterla, que erat iuxta domum, que fuit domini Atti Ravignani, per quam intravit dominus Malatesta cum guarnimento suo, et, dicta de causa, dicti populares debellati sunt, et multi, propter timorem, affugerunt extra civitatem Arimini, et multi similiter capti fuerunt et ducti in fortiam dicti domini comitis. Et captus fuit tunc dominus Martinus Cataldus et positus in tormentis, et confessus fuit quod ipse, cum dicto Urso potestate et aliis multis, ordinaverant prodicionem domini comitis, et accipere similiter terram, et expellere

vel occidere eum et omnes suos familiares et milites et stipendiarios, ita quod fuit condenpnatus ipse dominus Martinus Cataldus et suspensus per gulam. Et missi sunt ad confinia multi, qui erant sectatores et fauctores dicti populi, aliqui ad civitatem Cremone, aliqui ad Ananiam in Canpania, et aliqui ad Aquilam in Abrucio.

Hiis ita peractis, dictus dominus comes tulit sententiam in pallacio comunis Arimini, die veneris XXIII mensis iunii, in qua condenpnavit et privavit civitatem Arimini omni honore et dignitate et privilegiis et comitatu et potestaria et omnibus aliis, secundum formam constitutionis facte olim per venerabilem patrem dominum Bernardum Portuensem episcopum cardinalem, tunc tenporis apostolice sedis legatum in provincia Romaniole, et posuit rectorem et potestatem, in ipsa civitate, dominum Andream de la Montagna, virum nobilem et prudentem. Item, eodem anno, die martis V intrante mense septenbris, quasi in hora medie tercię, sol passus fuit eclipsim in diminutione, nam bene due partes solis obscurate fuerunt, et videbatur ad modum lune, quando videtur habere duo cornua, et videbantur gentes quasi omnes extra çalli, et ita stetit per magnam horam.

Eodem, anno M.CC.LXXXX, indictione terciā, fuit potestas civitatis Faventie, a kallendis iullii in antea, dominus Benedictus domini Petri Maniti de Urbe, qui fuit electus per commune Faventie, precibus et instancia domini Stephani de Colunpna comitis memorati. Et dominus Cellus de Spulita fuit capitaneus populi illo tenpore, similiter electus precibus dicti comitis, et illo tenpore sex mensium.

Eodem M.CC.LXXXX, indictione III, die lune VI novenbris, dominus Stephanus de Colunpna comes provincie Romaniole, cum maxenata sua, equitavit ad civitatem Ravenne, ibique stetit aliquibus diebus, ubi petebat et volebat fortilitias et dominium ipsius civitatis, et erat tunc potestas Ravenne Hostaxius filius condam Guidonis de Polenta. Dum vero ipse Hostaxius et Ranbertus frater eius nollent tradere dicto comiti fortilitias, et etiam timerent ne[Page 62]

ipse comes eis inferret iniuriam dicta de causa, fecerunt guarnimentum eorum et gentem magnam fecerunt amicorum suorum venire Ravennam: et contigit quod, die veneris, de nocte, veniente die sabati XI mensis novenbris, predicti Hostaxius et Ranbertus inceperunt rumorem de nocte in civitate predicta Ravenne, et ceperunt dictum dominum Stephanum comitem Romaniole et filium eius et generum, qui erat mariscalchus, et omnes suos familiares et milites et stipendiarios suos, derobando eos omnibus equis et armis et rebus eorum, ipsumque ponendo in prexonia et ferris et fida custodia.

Die dominico, in sero sequenti proxime, inceptum fuit prelium, in civitate Imole, inter Alidoxium et amicos et sequaces suos ex una parte, et amicos Nordiglorum ex alia, et, die lune sequenti, supervenerunt illi de Medicina, et magnum prelium invicem commiserunt, ita quod populares ex utraque parte mortui sunt; unde de Bononia milites advenerunt, qui dederunt auxilium Nordiglis et eorum amicis, ita quod Alidoxius, cum suis sequacibus, fuit expulsus de ipsa civitate. Et, in continenti, comune Bononie misit laboratores, et fecit destrui stecatam et omnes fortilitias ipsius civitatis, et splanari foveas.

Dicto vero die sabati, dum rumor insonuit in civitate Faventie quod dominus comes captus erat in civitate Ravenne, ipso sero, Manfredi, cum pluribus eorum amicis, exiverunt de civitate Faventie, et, die lune tunc proxime sequenti, cum eorum exfortio, redierunt Faventiam. Et Acharixii et filii comitis Bernardini de Cunio et Çanbraxii et Rogati aufugerunt de ipsa civitate, et Manfredi remanserunt domini in eadem, dominando in ipsa civitate, et retinendo et expellendo quoscunque volebant. Fecerunt insuper fieri foveas et stecatam ad burgum porte Pontis, et ipsum optime infortiari fecerunt.

Demum, tenpore procedente, omnes predicti extrinseci de civitate Faventie, et Maghinardus de Sosenana cum eis, fecerunt congregari maximum guarnimentum, et, quodam die sabati XXV novenbris eiusdem mensis, venerunt, cum toto eorum exfortio, ad civitatem Faventie, ipsa die sabati, quasi in hora tercię. Eodem die, mane, iam recesserant et separaverant se dicti Manfredi, cum eorum sequacibus, de civitate predicta. Et facti sunt rectores civitatis Faventie dominus Maghinardus de Sosenana et Ranbertus domini Guidonis de Polenta.

Dicto tenpore, similiter, de civitate Arimini separavit se ille, qui erat ibi potestas pro dicto comite, et dominus Malatesta accepit et habuit dominium ipsius civitatis, et factus est potestas Arimini, pro VI mensibus, dominus Rodulphinus de Galisidio de Cesena.

Dicto etiam tenpore, in civitate Cesene erant iudices generales totius provincie Romaniole, videlicet dominus Gentilis de sancto Elpidio iuris professor, dominus Simon Ferapecora de Parma et dominus Andreas de Seçia. Qui iudices, videntes quod civitas Cesene erat in ea voluntate, qua erant illi, qui ceperant dictum comitem, et quod non poterant, nec tenebant se securos ibidem propter multa mala opera, que ibi fiebant; separaverunt se, et iverunt Reversanum, quod est castrum archiepiscopi de Ravenna, ibique steterunt aliquot diebus. Postea vero iverunt ad civitatem Forlivii, que civitas stabat in comuni, et populares eius eam defendebant[Page 63]

ne aliqua mala opera ibi fierent, asserendo se senper stare ad mandata ecclesie romane. Similiter et alie civitates eiusdem provincie dicebant.

Dicto tenpore dominus Petrus Saracenus episcopus vicentinus, qui erat legatus generalis apostolice sedis in ipsa provincia, separavit se de civitate Ravenne, quanquam ibi nullam habuit lesionem, et ivit Cesenam: postmodum ivit Forlivium, et predicti iudices generales similiter iverunt Forlivium, ibique steterunt per plures dies.

Dictus vero legatus, volens civitatem Forlivii ad mandata ecclesie retinere, in suis parlamentis dabat crucem omnibus volentibus ibi stare, et remissionem magnam omnibus faciebat, qui stabant ad defensionem civitatis eiusdem.

Dicto tenpore, die mercurii XX mensis decenbris ineunte, predicti domini Maghinardus et Lanbertus rectores civitatis Faventie, cum maximo guarnimento congregato in ipsa civitate Faventie, et dominus Guido de Polenta cum illis de Ravenna, et dominus Malatesta

cum illis de Arimino et eius comitatu, et Malatistinus potestas Cesene cum illis de Cesena, et illi de Cervia et de Forumpopilio et de Bretenorio, et Thosolinus de Abete, cum toto eorum exorcio et potentia et guarnimentis eorum hinc inde congregatis, eques et pedes, equitaverunt versus civitatem Forlivii, ita et taliter quod, dicta die mercurii, in mane, fuerunt omnes predicti, cum eorum guarnimentis et armis, iusta civitatem Forlivii, a latere de suprus ipsius civitatis, intrantes, quasi una hora, ipsam civitatem, aliqui ex eis per portam sancti Blaxii, et aliqui per portam sancti Petri, non inferendo aliquam offensam nec danpnum alicui persone de ipsa civitate Forlivii, assumentes dominium civitatis ipsius, facientes eligi in potestatem ipsius civitatis Ugolinum cui dicitur Cignatta, et dominum Guidonem de Polenta in capitaneum populi Forlivii: ille vero dominus legatus et iudices predicti et omnes eorum stipendiarii, ea die, separaverunt se de ipsa civitate.

Die vero iovis tunc proxime sequenti, predictus dominus Maghinardus, in mane, tenpestive, cum Faventinis et forensibus, quos secum habebat, pedes et eques, equitavit supra quoddam castrum Francisci de Manfredis, quod vocabatur Bachagnanum, ibique posuit exercitum ad expugnationem ipsius castri; fecitque ibi construi et edificari aliud castrum, in quo posuit custodes ad hoc, ut illi de Bacagnano non possent exire extra, et unum manganum ibi posuit, quod iactabat in Bacagnanum. Item fecit edificari unum aliud castrum ex alia parte fluminis Alamonis, ibique posuit custodes ad hoc, ut illi, qui erant in Bacagnano, non exirent extra; postmodum vero dictum castrum Bachagnani datum fuit in custodiam domini comitis Romanirole.

M.CC.LXXXI, indictione quarta, dominus Lanbertus filius domini Guidonis de Polenta electus est potestas Faventie, et dominus Maghinardus de Sosenana electus est capitaneus populi Faventie, quilibet eorum pro sex mensibus, et intraverunt regimen ipsorum die primo mensis ianuarii.

Dicto anno venit ad castrum Castrocarii dominus comes Aldrebandinus de Romena episcopus aretinus, in provincia Romanirole comes et generalis rector pro sancta romana ecclesia.

Item, die lune XXII ianuarii, venit ipse dominus comes ad civitatem Forlivii.

Item, die martis statim sequenti, venit ad civitatem Faventie, ubi fuit receptus cum honore maximo et triumpho.

Dictis vero diebus, omnibus et singulis preteritis, predictus dominus comes, una cum anbaxiatoribus[Page 64]

et sapientibus viris de Arimino, Cesena, Forlivo et Faventia, et cum anbaxiatoribus de Bononia et de Florentia in maximo tractatu concordie persistentes, ita quod, die mercurii XXIV ianuarii, dominus Stephanus de Colunpna, qui condamnatus fuerat comes Romanirole, et captus in civitate Ravenna, ductus fuit, ipse et filius eius et nepos ipsius, et alii, qui secum capti fuerant, ad civitatem Faventie; et predictus Hostaxius de Polenta, qui eos ceperat, ipsos consignavit in forciam predicti domini comitis Aldrebandini de Romena comitis provincie Romanirole. Et, in civitate Faventie, tulit sententiam liberationis et relaxationis eorum, et facta fuerunt instrumenta finis et remissionis omnium iniuriarum et danpnorum, sicut de iure melius fieri potuit. Et, eadem die, in sero, dictus dominus Stephanus, cum suis, exivit civitatem Faventie et ivit ad castrum Aurioli, quod erat castrum domini archiepiscopi Ravennatis. Et statim, alia sequenti die, ivit ad Castrocarium, ubi stetit multis diebus, et postea separavit se deinde et de provincia Romanirole, die martis penultima mensis ianuarii. Predictus vero dominus Aldrebandinus comes et dictus dominus legatus steterunt in civitate Forlivii multis diebus.

Item, fecit idem dominus comes parlamentum generale in eadem civitate Forlivii, in quo parlamento fecit legi literas papales sue iurisdictionis et ordinamenta sua, et fuerunt in ipso rectores et anbaxiatores et sindici cuiuslibet comunitatis dicte provincie; et firmatum fuit, in ipso parlamento, quod dictus dominus haberet in anno, a dictis comunitatibus, XXVI millia florinos auri pro solvendis stipendiariis suis. Et hec facta fuerunt die iovis primo mensis marcii. Item, eodem anno, dictus dominus comes, de mense marcii, separavit se, cum tota sua curia, de civitate Forlivii, et ivit ad civitatem Cesene.

Eodem anno, die V mensis aprilis, intravit provinciam Romanirole dominus Gerardus de Parma cardinalis romanus, qui veniebat de legatione de Francia, veniendo per Lombardiam et Bononiam, et magnum honorem recepit in dicta provincia

Item, eo anno, dominus Maghinardus de Sosenana et comites de Cunio emerunt a domina Agnaxia, uxore comitis Dadei de Montefeltro, totam partem sibi contingentem in bonis et hereditate patris sui condamnati domini Ugolini Fantullini, et fratrum suorum Fantullini et Tani; propter quod comes Alexander de Romena est plurimum dedignatus. Unde contigit quod ipse comes Alexander, qui erat mariscalchus domini comitis Romanirole, misit Faventiam quemdam nomine Bovaterium, qui gerebat vices suas in ipsa mariscalcharia, cum equitibus et peditibus, quadam die sabati II intrante iunio; et fuit ad domum Iacobi de Castro Britonum de Bononia, qui Iacobus erat castaldus et factor dicte domine Agnaxie comitis; et, per vim, ceperunt eum et posuerunt supra uno equo ligatum, portantes eum extra civitatem Faventie, et dicebatur quod ipsi debebant eum suspendere in primo arbore, quem invenirent; et occasio erat quia ipse tractaverat illam venditionem supradicti poderis, propter quod dictus comes Alexander volebat facere hanc vindictam in eum. Ipse enim comes Alexander habebat in uxorem dominam Catelinam, que erat similiter filia dicti domini Ugolini Fantullini, et habebat aliam medietatem dicti poderis. Illi vero de Faventia, videntes tantam iniquitatem et iniusticiam fieri, traxerunt post illos, et violenter eis abstulerunt Iacobum supradictum, ita quod nullam iniuriam aliam tunc recepit in sua persona.[Page 65]

Eodem anno, die XVI intrante iunio, venerunt littere domini pape, bullate cum bulla plunbea, ad dictum dominum comitem Romanirole, qualiter dominus papa faciebat eum vicarium in spiritualibus in provincia memorata; et sic utrunque gladium habuit, spiritualem et

temporalem.

Eodem anno M.CC.LXXXXI, indictione IV, cum dictus dominus comes vellet eligere et dare potestatem et rectorem comuni civitatis Cesene ad voluntatem suam, et predictum comune nollet, idem dominus comes separavit se, cum tota sua curia, de ipsa civitate Cesene, die lune II mensis iulii, et venit Forlivium, et dictam civitatem supposuit interdicto.

Predictum vero comune Cesene, tam a mandato sibi sub pena X.m marcharum argenti, quam etiam ab interdicto, per suum syndicum, ad sedem apostolicam appellavit. Demum venerunt anbaxiatores cum sindico ad mandata domini comitis, et misit rectorem et potestatem ad civitatem Cesene, die VI mensis iulii. Et fuit potestas Cesene, pro sex mensibus, dominus Dego de Cancellariis de Pistorio; et Malatistinus, qui fuerat potestas, recessit et separavit se de dicta potestaria.

Item, die dominico VIII mensis iulii predicti, idem dominus comes Romaniolae ivit Imolam causa faciendi concordiam inter Alidoxium et suos sequaces, qui erant extra Imolam, ex una parte, et Nordiglos et eorum sequaces, qui erant in ipsa civitate. Demum separavit se de civitate, pro eo quia non potuit facere ipsam concordiam, et venit Forlivium.

Suprascripto vero anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, indictione quarta, supervenerunt nova, in partibus Italie et per universum orbem, qualiter civitas Acri, quam tenebant Christiani, et qui morabantur in eam, tam fratres milicie Tenpli, quam Hospitalarii et alie mansiones, ac etiam alii, tam terrigene quam forenses, ad defensionem fidei christiane et pro recuperatione sepulcri Domini nostri Ihesu Christi et Terre Sancte, que a Saracenis et Infidelibus detinetur; contigit quod soldanus Babilonie, cum innumerabili multitudine Saracenorum, venit ad obsidionem civitatis ipsius Acri, et, per plures septimanas, ibidem moram traxit, construendo edificia et manganos, qui iactabant ad exterminium et diruptionem murorum civitatis eiusdem, replendo similiter foveas et frangendo muros ipsius, ita et taliter, quod, die XVIII mensis maii eiusdem anni, predicti Saraceni, per vim, armata manu, intraverunt civitatem eandem, preliantes fortiter cum Christianis, qui steterunt ad defensionem ipsius. Multi enim ex Christianis aufugerunt ad naves, et, per mare, separaverunt se deinde. Et, in dicto conflictu et debellatione, mortuus fuit magister generalis milicie Tenpli de uno quadrello, et infiniti alii mortui sunt, pro nomine Ihesu Christi et pro defensione et recuperatione Terre Sancte, quorum anime in pace perpetua requiescunt.

Eodem anno, die XII mensis augusti, in civitate Forlivii, in palatio populi, facta fuit concordia et pax inter Alidoxium et Litum eius fratrem, ex una parte, et syndicum comunis et hominum intrinsecorum civitatis Imole ex altera.

Item, die VIII mensis septembris, dominus Ildebrandus comes predictus equitavit ad civitatem Imole, causa reducendi dictos extrinsecos in dictam civitatem, et, die XXI dicti mensis septembris, dominus Alidoxius intravit civitatem Imole cum magno gaudio et triumpho: non tamen fuit bene receptus ab intrinsecis dicte civitatis.[Page 66]

Item, die XXVII mensis septembris predicti, dominus comes [Federicus Novellus] filius nobilis viri domini comitis Guidonis [Novelli], equitavit in Casintinam, et, ponens eius [exercitum] supra quoddam castrum Stie, fortilicias supra portam [inforciavit; postea] venit [ad Gl]auçolum. Et accidit quod in castro Popii, [quod erat ibi] prope, essent comes Guido [Silvaticus] filius condam comitis Rogerii et comes Tancredus filius comitis Guidonis de Mutilliana, et, dum audivissent dicta nova, statim [equitaverunt] cum gente sua [contra comitem] Federicum [predictum, et] ipsum [viriliter] insultaverunt [et sconfixe]runt: et ipse comes Federicus fuit mortuus.

Tunc, die X mensis octubris, dominus comes Romaniolae predictus misit ad confinia, ad civitatem Forlivii, de illis de Imola, de utraque parte VIII; et venerunt dicta die Forlivium:

Dominus Litus de Alidoxiis.

Dominus Iacobinus Guardoli.

Dominus Guido de Tauxignano.

Dominus Bonaventura de Orabonis.

Dominus Petrus de Patarinis.

Dominus Imolensis Scoglatini.

Et ad castrum Sancti Petri iverunt ad confinia:

Dominus Bartolinus de Hondesantis e

Dinolus de Mauris.

Item, ea die, venerunt Forlivium ex adverso:

Dominus Nicola de Castro Imole.

Dominus Odericus de Nordiglis.

Ugolinus domini Bonaçunte.

Philippus de Bulgarellis.

Petrus Erri.

Andreas domine Iohanne.

Carpinellus fratris Bonincati.

Iacobus Oraboni.

Item, die XI mensis octubris, dictus dominus comes separavit se de civitate Imole, veniens versus Faventiam. Illi vero, qui erant tunc in Faventia, timentes ne idem comes reduceret secum Manfredos, omnes quotquot erant in civitate Faventie statim fuerunt ad arma et equos, ita quod, quando dictus dominus comes fuit prope ipsam civitatem Faventie, nolens ingredi ipsam civitatem, de foris perexit, et, per subtus pontem Arcus gradiens cum militia sua, venit Forlivium, et secum duxit de illis de Imola infrascriptos:

Dominum Alidoxium de Alidoxiis.

Dominum Antonium de Patarinis iudicem.

Antoniolum de Bilumeis.

Petrum Iohannis de Regno.
Ceccolum de Carnasallis.
Ungarellum de Cancellariis.
Dominum Iacobinum Ubertelli.
Ugolinum de Cancellariis.
Thomaxinum Petri de Aghinulphis.[Page 67]

Eadem die duxit secum ex adverso:
Nordiglum filium Albergitti de Nordiglis.
Bonaventuram Rubantis.
Fantinellum de Retrutis.
Thomaxium de Retrutis.
Thomaxium Oraboni Philippi.
Sanctolinum Caffoli.
Pellegrinum de Carnasallis.
Franciscum de Çachariis.
Iacobum de Licatis.
Guidonem de Briciis.
Prandum de Undesantis.
Constantinum de.....
Franciscum de

.....
Item, die XXVII mensis octubris ipsius anni, dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus
[civitatis] Faventie accepit castrum Pelegrinum, quod erat in valle Alamonis, comitatus
Faventie, et illud tenebat pro comuni Faventie; postea vero fecit illud destrui, et muros et
domos omnes dirrui, ita quod nullus habitaret in eo.

Item, eo anno, millesimo CC.L.XXXI, indictione quarta, die martis VI mensis novenbris
dominus comes Alexander de Romena frater domini comitis Romaniole, una cum Manfredis
de Faventia, equitavit, in districtu Faventie, ad Rontanam, et predictum poçum Rontane infortiaverunt.

/*

Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, in kalendis ianuarii, dominus
Rainerius de Calboli fuit potestas Faventie pro sex mensibus, et dominus Maghinardus
Paganus de Sosenana fuit capitaneus.

Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, occasione quorundam
rumorum, qui fuerunt in civitate Cesene, de mense ianuarii, dominus Ildebrandinus comes et
rector provincie Romaniole equitavit ad ipsam civitatem Cesene, et accepit ipsius terre dominium.
Et misit ad confinia dominum Rodulfinum de Calisidio et Thedericum eius filium
et Salvaticum eius nepotem, et dominum Raulem de Mançolinis et Guidonem eius nepotem, ex
una parte; et, ex alia parte, misit ad confinia dominum Giraldum de Aiçardis et Çanonem eius
filium, dominum Guidonem Vescovelli, Tibertum de Tibertis et dominum Gandulfucium de
Montigno, ex alia parte; et, post tres dies, fecit redire Cesenam predictos, et Giraldum et alios
eius complices.

Item, eodem millesimo, dominus Ildebrandinus comes provincie Romaniole misit ad confinia
multos alios, de eis, qui erant de amicis domini Rodulfini et domini Raulis.

Item, de mense ianuarii, stando comes in civitate Cesene, misit per VI de melioribus de
castro Bretenorii, et, cum venissent ad ipsum, cepit ipsos [et] fecit ab eisdem sibi dari turre et
omnes fortilicias Bretenorii, et misit de [hominibus] de sua familia et de stipendiariis suis ad
custodiam eiusdem castri, qui fortilicias [eius] inforciaverunt et eorum stechatas fecerunt.

[Eodem anno], die martis XXIX mensis [ianuarii, predictus] dominus comes separavit
se de [civitate Cesene] cum gente sua, relictis ibi de [militibus et peditibus] stipendiariis
suis, [et venit ad civitatem] Forlivii, [ubi] fuit [receptus] honorifice.....

.....[Page 68]

..... aliqua concordare de ipsa tallia persolvenda, sed neque consilium populi, nec etiam
generale consilium, talliam solvere nolebant. Verum, illi de domo Argoglosiorum, cum eorum
sequacibus, studebant, et quidquid poterant faciebant, ut firmaretur quod tallia solveretur.
Calbolenses vero, cum eorum sequacibus, et etiam maior pars populi eiusdem civitatis, nunquam
solvere volebant, et, in quantum poterant, contradixerunt; propter que idem dominus, ad postam
et de voluntate Argoliosorum, misit pro guarnimento suo, faciens magnas minas ançianis
et popularibus, et quod mitteret ad confinia illos de Calboli et de eorum complicibus,
qui contradicebant sibi in predictis; et fecit venire Forlivium, de fidelibus suis et fratrum
suorum, de Tredolcio, CCC homines, qui venerunt Forlivium die dominica III intrante februario
in mane, ante quam dies illucesceret; et expectabat illos de Dovadola et de Valbona; et
aliunde, ubicunque poterat, miserat pro guarnimento, intendens violenter talliam extorquere.
Cuius rei causa, ançiani populi Forlivii, et etiam populares eiusdem civitatis, miserunt
suas literas sigillatas sigillo populi, et nuncios speciales, ad comune Faventie, inplorantes
auxilium eorundem, dicta die dominica III februarii. Et, incepto rumore per ipsam civitatem
Forlivii, dictus dominus comes fecit publice proclamari quod omnes sui milites et stipendiarii,
cum armis et equis eorum, venirent in continenti ad pallatium populi, ubi idem dominus continue
morabatur, venire deberent; propter quod illi de Calbolo, cum eorum amicis, eques et pedes, reduxerunt
se in contrata, que vulgo dicitur Sclavania, ilucque expectaverunt donec illi de Faventia
fuerunt ibidem; quibus venientibus, contigit quod dominus Rainerius de Calbolo potestas et
dominus Maghinardus capitaneus Faventie, cum eorum milicia et maxenata in quantitate CC
equitum, et cum populo Faventino, tanquam leones intrantes ipsam civitatem Forlivii, equitaverunt,
euntes versus plateam civitatis eiusdem, facientes retrocedere milites domini comitis et

Argolliosios et eorum sequaces cum eorum exforcio. Et erant, cum dicto domino comite, fratres sui comes Aghinulfus et comes Alexander de Remena, et comes Albertus de Mangone et comes Açolinus de Mangone et Guilielmus et Petrus comites de Castrocaro et frater Albericus de Manfredis et multi alii nobiles et potentes viri, et habebat idem dominus comes bene CCC equites pro suis stipendiariis ibidem secum, qui omnes conversi sunt in fugam, et, exeuntes per burgum de Codogno, aufugerunt aliqui ex eis usque ad castrum Bretenorii, aliqui usque Cesenam, ubi dictus dominus comes aufugit: et, in ipso facto, mortuus fuit dominus Rainerius de Abaisio de Bononia archipresbiter plebis de Silustra imolensis diocesis, et plures alii, et multi fuerunt ibidem vulnerati et capti, inter quos captus fuit comes Aghinulfus de Romena frater dicti domini comitis Romaniole, et ductus Faventiam, et Ubertus eius filius. Et electus fuit, eo anno, potestas Forlivii dominus comes Bandinus de Mutilliana. Eodem anno, die martis XXVI mensis februarii, dominus Fredericus de Acharixiis de Faventia accepit in uxorem dominam Claram filiam condam domini Nicolai de Algeriis, que condam fuerat uxor Albergitti filii Manfredi de Manfredis. Et eo anno, et de mense ianuarii, fuit bonum tempus atque tranquillum; verum, de mense februarii, venerunt nives magne in montibus et planicie, et multe bestie mortue sunt, et fuit maxima carastia omnium victualium. Eo anno fuit bisextus, et pacta nulla simul in eodem anno. Item, eo anno et mense februarii, comune Forlivii, comune Faventie et comune Ravenne contraxerunt societatem ad invicem, et factus est dominus comes Bandinus capitaneus generalis dicte societatis.[Page 69]

Item, eodem anno, die iovis XIII mensis marcii, dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus civitatis Faventie, una cum militibus et aliquibus de populo eiusdem civitatis, duxit comitem Aghinulfum et Ubertum eius filium captos, extraens ipsos de ipsa civitate Faventie, et posuit eos in castro seu turri de Calamello, sub fida et bona custodia. Item, die veneris sequenti, statim equitavit idem dominus Maghinardus, cum gente sua predicta et fidelibus et amicis suis, ad quoddam castrum, quod vocatur Monteflore, quod castrum et turrem seu fortitiam habuit ad sua mandata, et omnes, qui erant in eo. Et erat dictum castrum Burnioli de Canpalmonte et consortum suorum.

Item, eodem tempore, die iovis XXVII mensis marcii, dictus dominus Maghinardus, cum quantitate militum et peditum de Faventia, equitavit Forlivium. Et, eodem die, una cum Liviensibus, equitaverunt Imeldolam, et ceperunt ipsum castrum Imeldole, ipsumque bene et fortiter inforciaverunt et munierunt.

Item, eodem anno, comune Forlivii, comune Faventie et comune Ravenne contraxerunt societatem ad invicem, et facte fuerunt promissiones, per syndicos instructos, de adiuvando se invicem comunibus expensis.

Item, die sabati XXIX eiusdem mensis, incepto quodam rumore in civitate Imole, omnes traxerunt ad arma, et tandem expulsus fuit potestas dicte terre, qui fuerat ibi positus per dominum comitem Romaniole, qui vocabatur dominus Nuce de Castello. Et electus fuit potestas Imole Bernardinus filius olim comitis Bernardini de Cunio, et de expulsionem predicta liberatum et absolutum fuit comune Imole, et omnes illi, qui culpabiles de hoc fuerunt, data quadam summa peccunie predicto domino Nuce, et rebus eius restitutis.

Item, die IV mensis aprilis, obiit dominus papa Nicolaus in urbe Romana, et fuit in die veneris sancto.

Item, eodem anno, die XVI mensis aprilis predicti, supradicta comunia, cum eorum exforcio undecunque congregato, equitaverunt, pedes et eques, usque ad civitatem Cesene, et ibidem, ante pontem, fecerunt acies suorum militum et peditum congregari contra dominum comitem Romaniole et gentem suam, quam habebat in dicta civitate. Et nullus ausus fuit ire ad eos, et eadem die redierunt Forlivium.

Item, eo anno, die martis penultima mensis aprilis, dominus Maghinardus capitaneus populi Faventie, cum aliquibus ex populo et ex militibus ipsius civitatis, equitavit ad montana, et posuit exercitum ad quoddam castrum, quod vocabatur Sanctus Cassianus, in valle Alamonis; quod castrum tenebat comes Alexander de Romena pro uxore sua domina Katerina filia condam domini Ugolini Fantullini; et stetit in dicto exercitu V diebus, iactando cum manganellis lapides in ipso castro, in quo erant bene CC persone inter mares et feminas et pueros; et, propter indigentiam aque, quam non habebant, nec habere poterant, reddiderunt ei castrum, et venerunt ad mandata comunis Faventie et ad plenam iurisdictionem dicti comunis; et fecit ipsum castrum et omnia fortificia eius et omnes muros irrui, et lapides proci inferius de monte.

Item, die nono mensis maii, dominus Maghinardus predictus, cum aliquibus militibus de Faventia et de maxenata, equitavit et extraxit de castro et turre Calamelli dominum comitem Aghinulfum de Romena, et accepit duos filios ipsius comitis Aghinulfi obsides pro eo, videlicet Guidonem et Rogerium; et Ubertus erat senper captus in dicta turre Calamelli: ipse enim comes promisit tractare pacem et concordiam inter dominum comitem Ildebrandinum fratrem[Page 70]

suum, qui erat comes provincie Romaniole, et suos sequaces ex parte una, et comunia Forlivii, Faventie et Ravenne et suos sequaces ex alia, et facere fieri et conpleri pacem deinde ad XX dies; alioquin debebat reverti in dictam prexoniam, et, si non reverteretur, debebat perdere suos .. u .. os et tria millia florinos auri, depositos per eum in civitate Florentie dicta occasione, et dicti sui filii remanere in captivitate. Et, dictis diebus, facta fuit treugua inter eos, usque ad diem martis quartum mensis iunii.

Item, eo anno, die mensis maii, comune civitatis et Bernardinus comes de Cunio potestas Imole, cum toto suo exforcio, equitaverunt supra quoddam castrum nomine Monte Caduni, in comitatu Imole, in quo erat unus filius Alidoxii et multi sui amici, et ipsum castrum tenebant pro Alidoxio predicto contra dictum comune Imole; et fecerunt exercitum supra illud castrum, et manganos, qui iactabant in ipso castro. Et, eo tempore, comune

Bononie misit duo millia electos pedites ad custodiam civitatis Imole; et sic, ipsis diebus, contigit quod predicti duomillia iverunt ad castrum Duçie, et ipsum castrum habuerunt ad sua mandata, et ipsius fortilicias destruxerunt. Et, similiter, iverunt ad predictum exercitum, et ipsum castrum Montis Caduni ceperunt et conbuxerunt.

Equitaverunt insuper predicti Bernardinus potestas et milites et pedites de Imola, qui erant in dicto exercitu, ad Corvariam, et eiecerunt atque fugaverunt omnes amicos et sequaces Alidoxii, qui erant in ipso castro Corvarie. Demum, tercia die postmodum sequenti, equitaverunt ad castrum Linarii, quod erat dicti Alidoxii, ipsumque ceperunt, et destruxerunt muros et fortilicias eiusdem castri.

Item, sub eodem anno, die dominico XV mensis iunii, suprascripta comunia societatis provincie Romaniole, videlicet comune Forlivii, comune Faventie et comune Ravenne, cum eorum sequacibus, fecerunt exercitum generalem, et posuerunt ipsum exercitum in territorio Bretenorii, in loco, ubi dicitur Bevenus. Et, die lune statim sequenti, dederunt guastum in vineis, arboribus et bladis eiusdem castri; postea vero, die martis tunc proxime sequenti, levaverunt canpum et iverunt Cesenam, ponentes exercitum eorum supra ripam fluminis Sapii. Et, ea die et sequenti, magnus tractatus fuit concordie inter eos, ita quod, dicta die mercurii, venit dominus Malatesta de Arimino et factus fuit potestas Cesene, et Malatistinus eius filius factus fuit potestas Bretenorii. Hec quidem concordia sic facta fuit ad hoc, ut dominus Malatesta reduceret dominum Rodulfinum de Calisidio et amicos et sequaces suos in Cesena et in Bretenorio. Et hec facta sunt sine consciencia et voluntate domini Ildebrandini de Romena episcopi Aretini comitis dicte provincie, qui tunc erat in dicta civitate Cesene, et etiam domini fratris Bonifacii archiepiscopi ravennatis, qui adversabantur predictis civitatibus et societati predictæ.

Item, eodem die mercurii, electus fuit dominus comes Bandinus de Mutilliana generalis capitaneus omnium terrarum dicte societatis.

Item, eodem die, levaverunt canpum, cum maximo gaudio et triumpho, et reversi sunt ad civitates eorum.[Page 71]

Item, eodem millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, die lune XXIII mensis iunii suprascripti, in mane, comune Faventie fecit exercitum generalem supra castrum Rontane, in quo erant frater Albericus de Manfredis et Ugolinus Buçola eius filius et plures alii de amicis et sequacibus eorum de Faventia. Dum vero milicia et populus ipsius civitatis ivissent supra sanctum Leonardum, iuxta Rontanam, supervenerunt anbaxatores hominum dicti castri, ne danpnum vel guastum aliquod eis fieret per illos de ipso exercitu; tandem, tractatu habito inter eos, predicti homines et comune Rontane totaliter et plene fecerunt mandata potestatis et comunis Faventie; similiter etiam homines et comune castri Quarrenti et Fugnani, que castra predicti Manfredi et comes Alexander de Romena tenebant. Completo igitur dicto tractatu concordie, suprascripti Manfredi, cum omnibus eorum sequacibus et forensibus, qui erant in ipsis castris Rontane, Quarrenti et Fugnani, recesserunt deinde. Et comune Faventie fecit dirrui omnes fortilitias et stechatas et muros et domos et turres, que erant in eis, et homines ipsorum castrorum fecerunt mandata dicti comunis.

Item, et supradictus Franciscus de Manfredis similiter, per suos legitimos procuratores venit ad mandata comunis et potestatis Faventie, et dedit fideiussores optimos de stando ad confinia sibi data per ipsum comune apud Ariminum, et de solvendis colectis et aliis factionibus eis inponendis per comune predictum. Et quidam eorum amici et sequaces, qui erant cum eis extra civitatem Faventie, similiter hoc fecerunt.

Item, eodem anno, et die sabati XXVIII mensis iunii, comune Forlivii fecit exercitum supra Castrocarium, in quo castro erat comes Aghinulfus de Romena; et, die dominico sequenti, facta fuit concordia, et redierunt Forlivium.

Item, eodem anno, et die lune sequenti, ultimo dicti mensis iunii, dominus comes Ildebrandinus episcopus aretinus comes provincie Romaniole separavit se de civitate Cesene, et ivit Dovadolam.

Item, die veneris IV mensis iulii, anbaxiatores comunis Bononie venerunt Forlivium et fuerunt in consilio generali dicti comunis, rogantes ex parte comunis Bononie comune Forlivii quod non faceret exercitum, nec aliquam novitatem, contra dominum comitem Ildebrandinum comitem Romaniole, specialiter in Castrocaro, nec in aliquibus terris, quas nunc teneat.

Item, miserunt literas ad comune Forlivii et ad Calbolenses, rogantes eos quod non facerent aliquam novitatem nec iniuriam illis de Valbona; specialiter in terra Ursarole, que terra est proprium patrimonium comunis Forlivii.

Item, anno supradicto M.CC.LXXXII, indictione V, fuit potestas Faventie pro sex mensibus, scilicet a kallendis iulii in antea, dominus Baxacomatre de Baxacomatribus de Bononia, et dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus.

Item, eo anno, venerunt ad civitatem Faventie solenpnes anbaxiatores de civitate Bononie, petentes, ex parte comunis Bononie, quod comune Faventie et alia comunia societatis Romaniole deberent conpromittere in comune Bononie super discordia, que erat inter eos et dominum Aldrobandinum comitem provincie Romaniole. Et fuerunt tunc in civitate Faventie dominus Malatesta de Arimino cum anbaxatoribus ipsius terre, dominus Guido de Polenta cum anbaxiatoribus de Ravenna, dominus Rodulfinus de Calisidio cum anbaxatoribus de Cesena, dominus Bernardinus de Polenta potestas Cervie cum anbaxatoribus Cervie, ambaxatores de Forlivio; et, in parlamento, petierunt dicti anbaxiatores de Bononia quod dicta comunia deberent conpromittere ut dictum est. Postmodum firmaverunt quod quilibet dominus, et anbaxiatores cuiusque civitatis, ire deberet ad investigandum voluntatem comunium[Page 72]

suorum: tandem, per quamlibet responsum fuit dictis anbaxiatoribus de Bononia quod neutrum dictorum comunium volebat facere ea, que per comune Bononie petebantur.

Demum, paucis diebus elapsis, iterum alii anbaxiatores venerunt, qui similem anbaxiatam portaverunt, et ultra fecerunt; nam ipsi mandaverunt domino Baxacomatri potestati Faventie, et dominis comitibus de Cunio, et domino Guidoni Raulis de Cesena, et domino Maghinardo de Sosenana, qui dicebant se esse cives civitatis Bononie, quod ipsi taliter facerent et curarent quod comune Faventie deberet compromittere in comune Bononie de dicto negotio; et predicta comunia nichil omnino se facturos dixerunt et responderunt. Quare comune Faventie, timens ne comune Bononie veniret Faventiam ad occupandam ipsam terram, et eam tradendam in manibus dicti comitis Romaniolae et suorum sequacium, die dominico ultimo mensis augusti, in hora none, dominus Maghinardus capitaneus, et alii de Faventia, incepto rumore, fecit sonari campanam populi ad laborerium faciendum, et omnes, tam cives, quam forenses, oportuit ire ad infortiandum ipsam civitatem Faventie, et cavandum foveas ipsius, diu noctuque, donec fuit infortiata; et, ea die, dictus dominus Baxacomatre, cum sua familia, separavit se de civitate Faventie et ipso regimine. Ea vero die venerunt ad civitatem Faventie tota milicia et populus civitatis Forlivii, et omnes de districtu ipsius, causa reficiendi et cavandi foveas civitatis Faventie. Venerunt etiam ibi dominus Malatistinus potestas Cesene cum milicia et populo de Cesena. Venerunt etiam dominus Hostaxius de Polenta potestas Ravenne, cum militibus et populo de Ravenna; similiter et dominus Bernardinus de Polenta potestas Cervie, cum militibus et populo Cervie. Item et Iohannes Sanchatus de Malatestis, cum militibus de Arimino; similiter et de Bretenorio et de Castrocario et de Bagnacavallo, et illustris vir dominus comes Bandinus de Mutilliana capitaneus generalis societatis provincie Romaniolae, cum fidelibus suis de Mutilliana et aliunde. Et facte fuerunt fovee et stechate ipsius civitatis, ita quod in civitate Faventie non fuit tam maximum guarnimentum militum et peditum armatorum, per totum tempus, quo viventes ipso tempore recordarentur: fuerunt enim ibi mille milites et ultra, et triginta millia pedites. Et, propter separationem domini Baxacomatris potestatis Faventie, ançiani populi ascenderunt palladium, et fecerunt regimen usque ad adventum novi potestatis. Et tunc, die sabati sexto mensis septenbris, occisus fuit gladio Leonatus notarius de Ontignano, quem occiderunt inimici sui de Tredolço. Anno domini nostri Ihesu millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. Quoniam civitas Faventie tunc temporis non habebat potestatem, electus fuit potestas Faventie, pro sex mensibus, incipiendo a kallendis septenbris huius anni, et usque ad kallendas martii anni proxime futuri, dominus Bernardinus de Polenta filius domini Guidonis de Polenta, qui intravit regimen die lune VIII mensis septenbris eiusdem anni, et dominus Maghinardus capitaneus. Dicto vero tempore, comune Florentie misit ad civitatem Bononie dominum Gentilem filium domini Bertoldi de Ursinis de Roma potestatem Florentie, cum solenpnibus anbaxiatoribus, ad tractandum et faciendum concordiam inter comune Bononie et illos de Romaniola, occasione relevationis fovearum civitatis Faventie et fortilitiarum, que facta erant in ipsa civitate, eo quod comune Bononie tenebat et reputabat sibi ad iniuriam. Verum aliqui de Bononia dicebant quod nolebant se intromittere de factis Romaniolae, et melius dicebant. Et, die sabati XIII septenbris, venerunt dicti potestas et anbaxiatores de Florentia ad civitatem Faventie.[Page 73]

Et missum fuit pro domino Malatesta de Arimino, domino Guidone de Polenta de Ravenna, domino Rodulfino de Calixidio de Cesena, et domino Ranberto de Polenta potestate Forlivii, et pro sapientibus ipsius terre Forlivii, ut Faventiam venirent dicta occasione. Et responsum fuit eis, per dictos Romaniolos, quod nullo modo volebant spanare foveas, nec destruere stechatam, neque fortilicias, quas fecerant in civitate Faventie. Et sic, die dominico XIV mensis septenbris, recesserunt de civitate Faventie predicti dominus Gentilis potestas et anbaxiatores civitatis Florentie.

Item, eodem anno, die mercurii XVII dicti mensis septenbris, dominus Maghinardus Paganus de Sosenana capitaneus populi civitatis Faventie equitavit, cum maxenata comunis Faventie et aliquibus de militibus ipsius civitatis, ad Rontanam, ipsumque castrum Rontane munivit bonis custodibus, et incepit ipsum infortiare, faciendo in ipso poço unum fortem gironem et unam turrim, et fecit portari calçem, pro ipsa turri facienda et construenda, de civitate Faventie.

Item, eo anno, die primo mensis novenbris, illustris vir dominus comes Guido de Montefeltro, cum trecentis militibus et MM peditibus, intravit civitatem Urbini, ipsamque terram fecit muniri et infortiari bonis fossis et stechatis, que prius fuerant splanata, et muri ipsius civitatis diruti per dominum Guilielmum Durantem comitem Romaniolae.

Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio, indictione VI, die iovis primo kalendarum ianuarii, de nocte, dominus Maghinardus Paganus de Sosenana et Bernardinus et Albericus comites de Cunio, cum aliquibus ex militibus et popularibus de Faventia et eorum fidelibus, equitaverunt ad castrum Montis Maioris, comitatus Imole, in quo erant custodes pro comite Alexandro de Romena, ipsumque castrum et turrem et totam fortiliciam ad eorum dominium habuerunt, reiectis et expulsis custodibus, qui eum custodiebant.

Item, eo anno, de mense ianuarii, obiit magnus et potens dominus comes Guido Novellus; item obiit dominus Ugolinus de Sino de Ubaldinis.

Item, obiit dominus Guido Riçius de Polenta.

Item, per totum illum mensem ianuarii, et per mensem februarii, fuit bonum tempus et clarum et lucidum, et non fuerunt nives neque pluvie, nisi ultima die februarii, qua fuit nix et pluvia, et postea pluribus sequentibus diebus.

Item, eodem anno millesimo CC nonagesimo tercio, die primo mensis marcii, fuit potestas Faventie, pro sex mensibus, dominus Iohannes Çottus filius domini Malateste de Arimino, et dominus Maghinardus capitaneus.

Item, eodem anno, die sabati XXI mensis februarii, obiit magnificus et potens vir dominus Obiçus marchio de Feraria, relictis tribus filiis, scilicet Açone, Aldrovandino et Francisco; qui Aço, die tercia predicta, factus fuit dominus Ferarie, Mutine et Regii.

Item, eodem millesimo CC.LXXXXIII, indictione sexta, Petrus filius domini Guidonis de Glauçano, de Acharixiis Faventie, desponsavit et duxit in uxorem dominam Guilielminam filiam olim fratris Çanbraxini de Çanbraxiis, cum magno gaudio et triumpho; et hoc fuit die dominico XXVI mensis aprilis.

Item, eodem die, dominus comes Bandinus de Mutilliana venit Faventiam, et, die lune sequenti tunc proxime, ivit Forlivium, moraturus ibidem pro capitaneo generali totius societatis terrarum huius provincie Romaniole.

Item, eodem anno, die XXIII mensis maii, obiit dominus comes Guido de Mutilliana. Item, eodem anno, die martis XXII septenbris, obiit dominus Alborixius canonicus Faventie.

Item, anno predicto millesimo ducentesimo nonagesimo tercio, indictione sexta, die primo mensis septenbris, intravit regimen civitatis Faventie Rossollinus filius domini Henrici de la Tosa, de Florentia, qui fuit potestas Faventie per sex menses, videlicet a primo septenbris usque ad primum diem mensis marcii anni sequentis, et dominus Maghinardus capitaneus.

Item, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, die prima mensis marcii, intravit regimen civitatis Faventie dominus Nicolaus de Malavoltis de Senis, et dominus Maghinardus capitaneus.

Item, eo anno, die mercurii XIX maii, Maxius domini Acharixii et Prosperius domini Guidonis Acharixii de Faventia vulneraverunt fortiter Nicolaum de Aspronibus, ita quod, ex dictis vulneribus, mortuus est.

Item, eo anno, die mercurii XXVI mensis maii, in civitate Forlivii, facta sunt instrumenta pacis et concordie inter dominum Ildebrandinum comitem Romaniole, ex una parte, et Faventinos et Forlivenses et alios dominos civitatum provincie Romaniole, ut infra dicetur.

Item, eodem anno, die sabati XXIX mensis madii, in sero, ad petitionem et mandatum domini comitis Romaniole, equitavit dominus Maghinardus capitaneus civitatis Faventie, cum militibus ipsius civitatis et militibus de Forlivo, et cum bona quantitate peditum proborum virorum, ad castrum Tauxignani, tota illa nocte; et, in die festo dominica sequenti, in hora tercie, ibi fuit: ipsa etiam die, magnus rumor et discordia erat inter ipsum dominum comitem et suos sequaces de dicto castro, ex una parte, et eius emulos ex altera, et etiam prelium fuerat inter eos, qui, audiendo subsidium advenisse ipsi domino comiti, statim cesserunt; et aliquos ex eis cepit, et alii aufugerunt. Demum, ipsum castrum totum remansit in dominio eiusdem domini comitis, et dominus Maghinardus ibi posuit custodes suos, tam milites quam pedites oportunos, et, ipsa die dominica, rediit Faventiam, et idem dominus comes multos de ipso castro misit ad confinia.

Item, die mercurii IX mensis iunii, idem dominus Maghinardus, cum militibus de Faventia, equitavit ad Tauxignanum, et sociavit dominum comitem Romaniole, qui separavit [se] deinde, et venit ad Mutillianam ipsa die mercurii.

Item, die veneris XI mensis iunii, iuxta formam literarum transmissarum per dictum dominum comitem ad dominum episcopum et prepositum Faventie, idem dominus prepositus ex commissis et concessis per dicta, et etiam ex commissione sibi facta per dictum dominum episcopum faventinum, et dominus Manente prepositus ariminensis, qui erat iudex subdelegatus[Page 75]

eiusdem comitis, fuerunt in pallacio comunis Faventie, in quo congregati erant, ad sonum canpanarum, consilium populi, consilium generale, consilium ançianorum, consilium credentie de XX sapientibus, consilium credentie XLVIII sapientum, et massa populi civitatis Faventie; ibique facti sunt sindici generales totius comunis, civitatis et districtus Faventie Nicolittus de Çagonada et ego Petrus Cantinelli, et ibidem, flexis genibus ad pedes predictorum dominorum, facta fuit per eos generalis absolutio omnium et singulorum interdictorum et excommunicationum actenus factorum et factarum per dictum dominum comitem, vel per ipsius predecessores vel aliquem eorum, in provincia Romaniole, quacunque ex causa. Et Iacobus Vintuli notarius de hiis fecit publicum instrumentum, et multi alii notarii de hoc rogati fuerunt.

Item, eo anno, die veneris secundo mensis iullii, Argoglosii de Forlivo, cum eorum amicis, qui magno tempore steterant ad confinia pro comuni Forlivii, redierunt Forlivium cum magno gaudio et honore.

Item, eo anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, die V mensis iullii, facta fuit electio, per dominos cardinales romanos, de summo pontifice; et electus fuit papa dominus frater Petrus de Morono de Apulia, sive de Abrucio, qui coronatus fuit in civitate Aquile, die dominico XXIX mensis augusti, et vocatus est dominus papa Celestinus V. Eo tempore rumores magni fuerunt in civitate Forlivii et in civitate Faventie, et maximum guarnimentum hominum armatorum, ita quod ad civitatem Forlivii trasmissi fuerunt ex popularibus et militibus Faventie. Tandem accidit quod, incepto rumore in civitate Forlivii, expulsi fuerunt de ipsa civitate Calbulenses, et ex eis plurimi vulnerati; et hoc fuit die martis XXIII augusti, et captus fuit dominus Guido de Polenta, qui venerat Forlivium ad faciendum officium capitaneie dicte civitatis, et Ranbertus eius filius cum eo, et plures alii de Ravenna, et Fulcerius de Calbulo et Iohannes eius frater, et Nicolittus filius Rainerii de Calbulo.

Demum, die mercurii proxime sequenti, dominus Maghinardus Paganus de Sosenana equitavit ad civitatem Forlivii, et taliter operatus est ibi, quod predicti omnes capti fuerunt relaxati, et sibi donati; et ipse tunc electus fuit capitaneus Forlivii aliquot diebus, donec provideretur de alio capitaneo.

Item, ipse dominus Maghinardus intravit pro potestate civitatis Forlivii, die primo mensis septenbris, pro sex mensibus.

Item, die primo mensis septenbris predicti, dominus Rossus de la Tosa de Florentia

Item, eodem anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, dominus papa Celestinus quintus elegit et fecit comitem provincie Romaniole dominum Robertum de Cornay, qui comes intravit ipsam provinciam die martis, hora tercię XII mensis octubris, et hospitatus fuit apud Mundainum, in comitatu Arimini. Item, die iovis sequenti, venit ad civitatem Arimini, et ibidem stetit usque ad diem martis XIX dicti mensis octubris.

Item, dicta die martis, venit Cesenam, et ibidem moratus fuit usque ad diem dominicum XXIV dicti mensis octubris.

Deinde, dicta die dominica, venit ad civitatem Forlivii, et ibidem stetit deinde ad diem martis, secundo mensis novenbris eiusdem anni.

Item, dicta die martis, secundo novenbris, dictus dominus comes equitavit ad civitatem Faventie, ubi, cum honore ac triumpho et magno astiludio, est receptus; et ibidem moram traxit usque ad diem lune VIII mensis novenbris predicti.

Item, dicta die lune, venit Imolam. Et, die dominica precedenti, VII dicti novenbris, dictus dominus Robertus comes provincie Romaniole, receptis a comuni Faventie duobus millibus florenis auri.....

[absolvit eos excommunicat]ionem et privationum honorum et dignitatum, per dominum Petrum archipresbiterum de Ortona, Tethiensis diocesis, apostolice sedis legatum; de quibus facta fuerunt plurima instrumenta, unum manu....

Item, in dicta civitate Imole, fecit maximum parlamentum idem dominus comes, die mercurii X dicti mensis novenbris, et fecit legi suas constitutiones ibidem; in quo parlamento firmatum fuit, de voluntate omnium anbxiatorum et sindicorum totius provincie Romaniole, [quod ipse dominus comes haberet liberum arbitrium accipiendi et tenendi stipendiarios ad suam voluntatem]....

Item, sub eodem millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, in festo omnium sanctorum, magnificus vir dominus Aço marchio de Feraria fecit curiam generalem, in qua fecit militem fratrem suum Franciscum, et multos alios viros nobiles cum eo militari cingulo adgregavit. Et, hiis diebus, aque de Alpibus in tantum creverunt et emanaverunt in flumine Padi et aliorum fluminum, a Cremona inferius, et per comitatum Cremone, Brixie, Placencie, Parme, Regii, Mutine, Mantue, Padue, Ferarie, et per adiacentes contratas citra et ultra Padum, ut diceretur a gentibus quod diluvium particulare fuisset hiis diebus et contratis, ita quod ville et domus submerse fuerunt, magna quantitas hominum et mulierum et puerorum suffocata, bestie absque numero similiter suffocate, suppelletilia infinita perdita et consumpta.

Item, eodem anno, die veneris XXIV mensis decenbris, in vigilia Nativitatis domini nostri Ihesu Christi, obiit dominus frater Bonifacius archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie, qui acquisivit et auxit et augmentavit multa bona et iurisdictiones et honores dicte ecclesie, et[Page 77]

in suo testamento reliquit, in auxilium passagii, pro Terra Sancta recuperanda, in ultramarinis partibus, quinquaginta millia florinos auri, quos ipse archiepiscopus deposuerat penes mercatores, in civitate Ianue.

Item, eodem anno, die XIII mensis decenbris festivitatis sancte Lucie virginis, suprascriptus dominus papa Celestinus renunciavit papatui et rediit ad cellam suam, in qua primo agebat penitentiam.

Item, eo anno, die veneris XXIV dicti mensis decenbris, electus fuit papa dominus Benedictus Gaitanus cardinalis, et vocatus est dominus papa Bonifacius octavus, qui fuit coronatus in urbe romana, die dominico XXIII mensis ianuarii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione octava.

Item, eodem anno, die.... predictus dominus Robertus comes separavit se de provincia Romaniole, et recessit, pro eo quod alius comes electus fuit per dominum papam Bonifacium.

Item, eodem anno, in kalendis marcii, dominus Rossus de la Tosa fuit potestas civitatis Faventie, pro sex mensibus, usque ad kalendas septenbris.

Item, eo anno, die decimo mensis aprilis, intravit provinciam Romaniole dominus Petrus archiepiscopus Montis Regalis comes generalis provincie Romaniole, et venit in castrum Tauxignani comitatus Imole.

Item, die mercurii XIV aprilis, venit Imolam.

Item, die sabati XVII aprilis, dominus Maghinardus capitaneus Faventie equitavit Imolam ad mandatum dicti domini comitis, et, cum fuit coram eo, idem dominus comes mandavit eidem quod deberet renunciare dicte capitanarie, et in continenti renunciavit, et, in reditu suo, ivit ad canonicam sancti Petri, ubi stetit pluribus diebus.

Item, eo anno, die dominico XXIV mensis aprilis, dictus dominus comes fecit, in civitate Imole, parlamentum generale, in quo fuerunt septem episcopi provincie et anbxiatores et syndici comitatum et nobilium provincie Romaniole; et, in ipso parlamento, concessum fuit liberum arbitrium dicto domino comiti accipiendi et tenendi stipendiarios, pedes et eques, ad suam voluntatem, tam circa quantitatem et numerum ipsorum, quam circa salarium eorum, et distributionem faciendam inter provinciales. Qui dominus comes accepit trecentum equites et centum pedites, et inposuit comuni Faventie talliam ipsorum, videlicet quibuslibet quatuor mensibus mille quatuor centum libras ravennates, et, pro fidelibus Fantullinorum, tercentum libras ravennates.

Item, eodem anno, die dominico octavo mensis maii, suprascriptus dominus Petrus comes Romaniole exivit civitatem Imole, post nonam, et venit Faventiam, ubi, cum maximo honore, fuit receptus.

Et, occasione adventus ipsius domini comitis, multi barones et comites et magni viri venerunt ad civitatem Faventie, videlicet dominus comes Bandinus de Mutilliana, dominus comes

Manfredus filius olim domini comitis Guidonis Novelli, Fulcerius et Franciscus de Calbolo et multi alii.

Deinde, inimico humani generis insuflante gizaniam inter dominum Maghinardum de Sosenana et suos amicos de Faventia, ex una parte, et dominos comites de Cunio ex altera cum eorum sequacibus, et cum eis tenebat predictus comes Manfredus; contigit quod predicti comites de Cunio, videlicet Rainerius, Bandegatus et Bernardinus, cum eorum sequacibus, die mercurii XI mensis maii, coram supradicto domino comite Romaniolo, petierunt palam quod fovee civitatis Faventie spanarentur et stecate ipsius et fortilitie vastarentur; propter quod fuit orta magna turbacio inter eos et dominum Maghinardum et suos amicos. Et ideo predictus dominus comes Romaniolo mandavit et inposuit confinia utrique parti, ut, die iovis XII maii predicti, quelibet iret ad confinia, ubique vellet, longe a civitate Faventie per X miliaria,[Page 78]

ubi stare deberent donec revocarentur. Et sic, ipsa die iovis, post nonam, supradicti domini Maghinardus et comes Bandinus exiverunt civitatem Faventie, ipse enim Maghinardus ivit ad castrum suum Benclarum, quod habebat in valle Alamonis, et dictus dominus comes Bandinus ivit Mutillianam, et predicti domini comites de Cunio iverunt ad Lugum et Fusignanum et comes Manfredus Mutillianam.

Item, eo anno M.CC nonagesimo quinto, indictione octava, die dominico XV mensis maii, in mane, factum fuit consilium generale populi civitatis Faventie in pallacio populi, in quo consilio electus fuit capitaneus populi eiusdem civitatis dominus Petrus archiepiscopus Montis Regalis comes provincie Romaniolo, per unum annum, incipiendo ab ea hora in antea, qua dicta electio facta fuit, cum salario centum librarum bononiensium parvorum pro quolibet mense; fecitque suum vicarium, per unum annum, dominum Napolionem.... de Reate, probum militem et potentem.

Item, eodem die, post nonam, in eodem pallacio, dominus Rossus de la Tosa potestas Faventie fecit congregari consilium generale comunis civitatis eiusdem, in quo proposuit de novo potestate eligendo et reformatus fuit in eodem consilio, et electus ad vocem suprascriptus dominus comes Romaniolo potestas civitatis Faventie, per unum annum, incipiendo in kallendis septenbris proxime venturi, deinde ad unum annum, cum salario centum librarum bononiensium pro quolibet mense. Et hec omnia facta fuerunt eo die.

Item, die martis XVII dicti mensis maii, predictus dominus comes fecit arengum in platea comunis Faventie, in quo facti fuerunt duo syndici, videlicet dominus Ugolinus de Medicis iudex et dominus Thedericus de Salutare iudex, qui iuraverunt fidelitatem sancte romane ecclesie; et idem dominus comes fecit proclamari sua banna et ordinamenta, et fuit sibi, per ipsum arengum, concessum liberum arbitrium supra pacem et reformationem boni status civitatis Faventie.

Item, eodem anno, die mercurii XXV mensis maii, dominus comes de Montefeltro venit ad civitatem Forlivii cum uno legato domini pape, qui sibi restituit omnia bona et iura sua, et ipsum posuit in possessionem omnium bonorum et iurium suorum; occasione cuius adventus, homines de parte Manfredorum de Faventia, et etiam aliunde, plurimum doluerunt et timuerunt; propterea idem dominus comes Romaniolo fecit infrascripta.

Item, eodem anno, die veneris XXVII mensis maii, dictus dominus comes Romaniolo accepit obsides et fideiussores nobilibus de Faventia, videlicet unum filium domini Guidonis Raulis et unum filium comitis Alberici de Cunio, quos misit Cesenam; item, unum filium Rainerii et unum Bandezati et unum Bernardini comitum de Cunio, et unum Francisci de Manfredis, et unum Ugolini Buçole, et unum filium fratris Alberici de Manfredis, et unum Francisci de Manfredis, quos omnes misit ad Castrocarium.

Item, eo anno, die martis ultimo mensis maii, de mandato predicti domini comitis Romaniolo, dominus frater Albericus et Franciscus de Manfredis, dominus Rainerius et Bernardinus comites de Cunio, dominus Maghinardus de Sosenana venerunt prope civitatem Faventie, videlicet predictus dominus Maghinardus apud ecclesiam sancti Apolinaris, et predicti alii omnes in burgo Porte Pontis; scilicet Manfredus apud hospitale sancti Iohannis, et comites apud ecclesiam sancti Antollini. Et, sequenti die mercurii, primo mensis iunii, idem dominus[Page 79]

comes Romaniolo, cum predictis dominis et domino Guidone Raulis de Çanbraxiis et domino Dadeo de Acharixiis, iverunt ad castrum Auriolo, ubi visum fuit ipsos posse melius et securius stare ad tractandum pacem et concordiam inter eos.

Item, dicta die ultima maii, dictus dominus comes Romaniolo precepit dominis Frederico et Dadeo de Acharixiis et Rauli de Çanbraxiis ut irent ad confinia, haud longe quam IV miliaria a civitate Faventie; quod ipsi fecerunt.

Item, die predicta prima mensis iunii, predicti domini Acharixii, Manfredi, Maghinardus, comites de Cunio et Çanbraxii et Rogati fecerunt pacem ad invicem, in terra Auriolo; et postea, eadem die, post nonam, in platea comunis Faventie, super schalas pallacii, presente ipso domino comite et stipendiariis et populo Faventie et domino Lotterio episcopo faventino.

Item, die iovis sequenti, apud locum dominarum loci fratris Viviani, presente dicto domino comite Romaniolo, fecit pacem comes Albericus de Cunio, pro se et domina Beatrixia sua uxore et filia condam Manfredi de Manfredis, cum dominis fratre Alberico, Francisco et Ugolino, de morte et occasione mortis domini Manfredi et Alberigitti eius filii. Et redierunt predicti domini omnes ad eorum confinia.

Item, die II iunii, omnes alii de populo, qui steterant ad confinia multo tempore, Faventiam redierunt.

Item, die dominico V mensis iunii, predictus dominus comes separavit se de civitate Faventie, et ivit ad civitatem Forlivii, ubi, cum honore maximo, est receptus.

Item, die dominico XII mensis iunii predicti, suprascriptus dominus comes Romaniolo separavit se de civitate Forlivii, et ivit Cesenam.

Item, die dominico XXVI iunii, predictus dominus comes ivit Ravennam, et, facta pace inter intrinsecos et extrinsecos de Ravenna, misit ad confinia de utraque parte; fecitque dirrui domos domini Guidonis de Polenta et Lanberti sui filii, ac etiam domum, que condam fuit domini Marchi Michaelis.

Item, die sabati II mensis iulii, equitavit idem dominus comes Cesenam, et, in mane diei dominice, versus Ariminum, et, die mercurii tunc proxime sequenti VI iulii, fecit fieri pacem inter Ariminenses intrinsecos et extrinsecos, et, cum eis omnibus, introivit Ariminum. Item, eo anno, die dominico XVII mensis iulii, fuit magnum tonitruum, et sagitta fulgura percussit in canpanile sancti Petri de Faventia, ita quod plures lapides proiecit in terram, et de quadro, in quo erat fixa crux, que erat in summitate dicti canpanilis; ita quod dicta crux, cum pomo aureo, cecidit inferius die iovis tunc proxime sequenti, XXI mensis iulii. Item, eo anno, die iovis XXI mensis iulii, omnes illi de civitate Faventiae, qui erant[Page 80]

ad confinia de mandato domini comitis Romanirole, Faventiam redierunt unanimiter et concorditer, et de voluntate ac licencia eiusdem domini comitis, et etiam potestatis et capitanei et ançianorum civitatis Faventie.

Item, eodem millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione VIII, die martis secundo mensis augusti, una vox elevata fuit, in civitate Favencie, hominum dicentium: "Ecce Forlivienses! Ecce Forlivienses!", quod non erat verum. Sed, occasione dicte vocis, domini comites de Cunio et Manfredi, cum eorum sequacibus, fuerunt ad arma, et, cum armis, eques et pedes, venerunt in podio sancti Petri et etiam in platea comunis; quibus auditis, dominus Maghinardus de Sosenana et dominus Guido Raulis et Acharixii, cum eorum amicis similiter, et armati eques et pedes, fuerunt in ipsa platea, iuxta sanctam crucem, et iverunt usque ad pedronem, qui est in media platea predicta, ibique fecerunt multa verba ex utraque parte; tandem, de licentia domini capitanei, utraque pars retrocessit, et fecerunt eorum serallia, ita quod una pars non posset subito currere super aliam; et sic ipsa nocte factum est. Demum, illucescente die mercurii III augusti, dum predicti comites de Cunio et Manfredi, cum eorum amicis et guarnimentis, que fecerant, congregati essent ultra pontixellum porte Ravegnane de Sancto Clemente et iuxta sanctum Ipolitum, destruxerunt stechatam civitatis, quasi partem dimidiam ab illo latere, ad hoc ut eorum guarnimenta citius et liberius intrarent ipsam civitatem, et specialiter illi de Bononia, qui, ipsa die mercurii, venerunt usque Imolam in quantitate VIII.c equitum, et VI.m peditum ad Castrum Sancti Petri. Et ecce quod illi de parte Acharixiorum, nolentes substinere tantam nequiciam, cum magnis vocibus dicentibus et clamantibus: "A luro! A luro!", cucchurrerunt versus portam Ravegnanam, irruentes in illos de parte Manfredorum et comitum, preliantes fortiter cum eis, accipiendo eis serallium, quod fecerant ad pontixellum porte Ravegnane, et postea ad pontixellum de Sancto Clemente, debellantes et vulnerantes eos et expellentes extra civitatem Faventie. In qua expulsione mortuus fuit Manfredus de Marçanensibus, et multi, tam ex percussionibus, quam ex fuga et defectu pontis, suffocati sunt ultra L de amicis comitum et Manfredorum, relinquentes arma per campos et fossata, et affugentes aliqui eorum versus Cunium, et alii versus Ravennam: et sic ipsa civitas Faventie remansit ad servicium sancte romane ecclesie contra ea, que dicti comites et Manfredi ordinaverant, scilicet accipere ipsam civitatem et dare Bononiensibus. Et, eadem die, similiter[Page 81]

eiecti sunt illi de parte Comitum de Ravenna, et inceptum fuit prelium in castro Tauxignani, quod per multos dies duravit; et, eadem die, similiter expulsa fuit pars Ghibillina de Bretenorio, ipsa vero civitate Faventie remanente in dominio domini Maghinardi et partis Acharixiorum et amicorum suorum, eiectis et expulsis Manfredis et comitibus de Cunio, qui ordinaverant prodicionem et mortem predictorum Maghinardi et Acharixiorum et domini Guidonis Raulis et omnium amicorum eorum et sequacium, cum parte Geremiorum de Bononia. Item, die sabati XXI augusti, accensus est ignis maximus in terra Bagnocavalli, ita quod ipsa terra tota et domus et subpellectilia omnia sunt igne consumpta; in quo igne V persone et porci multi et alie bestie et ultra nongente domus fuerunt, per ipsum ignem, penitus consumate. Item, eodem anno, die veneris XXVI mensis augusti, in mane tenpestive, fuit tempus nubilosum et pluviosum, et tonitrua multa et magna, et unum magnum tonitruum cum sagittis fulguribus, que percusserunt in canpanili ecclesie sancti Petri, perforando summitatem ipsius canpanilis, proiciendo quadrum, quod erat in ipsa summitate, et canpanam magnam proiecit in fundo canpanilis, et aliam canpanam supra uno ligno et fenestra superiori; runpendo etiam murum ipsius canpanilis in pluribus locis versus podium sancti Petri, et maximum rumorem et fulgorem faciendo; ita quod gentes, que erant in ipsa ecclesia, plurimum timuerunt, et affugerunt propter dictum timorem.

Supradictus vero dominus comes Romanirole potestas civitatis Faventie fecit suum vicarium in dicta potestaria, videlicet dominum Anselmum de Sancto Laurentio de Canpania, qui intravit in ipso regimine die prima mensis septenbris.

Item, eo millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione VIII, die iovis VI mensis octubris, dominus Guilielmus Durantis episcopus mimatensis, electus comes provincie Romanirole et marchio in marchia Anchonitana per dominum Bonifacium papam, intravit provinciam Romanirole, et venit ad civitatem Arimini. Et, ea die, dominus Petrus archiepiscopus Montis Regalis, qui fuerat comes, separavit [se] de dicta provincia.[Page 82]

Item, die dominico XXIII mensis predicti, venit idem dominus comes ad civitatem Cesene, ubi cum magno honore fuit receptus.

Item, die iovis XXVII dicti mensis octubris, predictus dominus comes fecit parlamentum generale in civitate Cesene, ubi fuerunt anbaxiatores et sindici et procuratores omnium nobilium et comitatum provincie Romanirole; et, in ipso parlamento, fuit firmatum quod ipse dominus comes posset accipere trecentum milites expensis provincie.

Item, die martis XV mensis novenbris, idem dominus comes equitavit Bretenorium.
Item, die dominico XX dicti mensis novenbris, supradictus dominus comes venit ad civitatem Forlivii, ubi magnus honor fuit sibi factus.
Item, die mercurii XXIII dicti mensis novenbris, venit Castrocarium, ibique stetit multis diebus.
Item, die dominico XI mensis decenbris, idem dominus comes separavit se de Castrocaro, ivitque Imolam, eundo per devia et non per stratam publicam; nec voluit intrare civitatem Faventie.
Item, die XVIII dicti mensis decenbris, dominus Malatesta, cum parte sua de Arimino et guarnimentis magnis, eques et pedes, undecunque congregatis in civitate Arimini, expulit violenter aliam partem de ipsa civitate, occidendo et vulnerando multos, inter quos mortuus est Ugolinus, qui dicebatur Cignatta, condamnatus domini Parcitatis, et Mostacius et plures alii.[Page 83]

Item, dicto anno, die martis XX mensis decenbris, dictus dominus comes separavit se de civitate Imole, et equitavit ad civitatem Ravenne.
Item, die XXIII mensis decenbris eiusdem anni, equitavit ad civitatem Arimini, ubi stetit multo tempore, et separavit se de Arimino die dominico penultimo mensis aprilis, et ivit in Marchiam

Item, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, die martis XIII mensis marci, dominus Maghinardus de Sosenana equitavit, cum aliquibus ex militibus et popularibus Faventie et suis fidelibus, ad castrum Calamelli, et ibidem, dato signo, per vim et prelium atque fortiam, cepit castrum predictum; illi vero, qui erant in turri, salvis eorum personis, reddiderunt [ipsam similiter]

Item, eodem millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, die dominico primo mensis aprilis, magnificus vir dominus Petrus Abbate marchionis de Feraria patruus et dominus Galasius comes Montisfeltri et maxenata de civitate Ariçii convenerunt in unum in civitate Faventie, una cum militibus et populo civitatis Cesene et Forlivii, et dominus Maghinardus de Sosenana cum suis fidelibus, et dominus Anselmus potestas et dominus Napolione capitaneus civitatis Faventie cum militibus et populo civitatis eiusdem, et cum eorum guarnimento undecunque congregato; dicta dies, post prandium, pulsatis campanis comunis Faventie ad stirmtam, exeuntes civitatem Faventie per portam Imolensem, equitaverunt usque ad flumen Raseule seu Santerni, quod est prope civitatem Imole, quod, propter inundationes aquarum et pluvias, multum erat latum et altum, ita quod transiri non poterat sine periculo personarum, eques vel pedes.
Ex adverso autem, in civitate Imole, congregati erant quatuor millia pedites armati de Bononia, et multi alii, tam de Bononia, quam de comitatu Imole, et exteriores de Faventia et milites de quarterio porte Sancti Petri de Bononia et maxenata comunis Bononie, qui omnes convenerant in ipsa civitate Imole. Et quam cito intellexerunt adversarios eorum esse super flumen, statim traxerunt ad renaciū Imole, ad impediendum transitum predictorum. Decrescente itaque flumine supradicto, milites intraverunt ipsum flumen, et faciebant quasi unam clusam in aqua, ita quod populares, per ipsam aquam, sicut melius potuerunt, transitum[Page 84]

fecerunt. Quam cito vero illi Bononienses viderunt illos transisse, statim terga vertentes in fugam conversi sunt, et, illis intransitibus civitatem Imole, multos ceperunt, et vulnerati sunt plurimi et occisi: in platea vero civitatis Imole multis ex ipsis Bononiensibus congregatis, dum non possent substinere impetum illorum, reducerunt se in pallacio comunis Imole, ubi fuerunt inclusi. Et tandem, dum non possent ibidem se tenere propter ignem, qui positus fuit ad ipsum pallacium, reddiderunt se predicto domino Maghinardo, et sic omnes capti fuerunt, et dicitur quod bene fuerunt capti duo millia et ultra de illis, qui erant tunc in ipsa civitate Imole. Et sic ipsam civitatem ad suum dominium habuerunt, et inforciaverunt, facientes foveas et stечатam. Et redierunt in ipsam civitatem pars Ghibellinorum de Imola et Alidoxius et Litus eius frater, cum amicis ipsorum. Similiter etiam et Duçiam acceperunt et inforciaverunt. Et electus fuit potestas Imole dominus Caça de Castello nobilis et potens vir.
Eoque tempore comune Cesene, comune Forlivii et comune Faventie et Imole, comune Bagnacavalli, exteriores de Ravenna, de Arimino et de Bretenorio, cum eorum amicis, fecerunt societatem cum domino Açone marchione de Ferrara, et cum comune Mutine, Regii, et Ferarie, et parte Lanbertaciorum de Bononia, et, sicut inter eos extitit ordinatum, suprascripta die prima mensis aprilis, idem dominus marchio, cum maximo guarnimento, inforciavit castrum Vignole, castrum Baçani, castrum Savignani et castrum Spilanberti, que sunt in confinibus inter Bononienses et Mutinenses, in comitatu Mutine positos.
Eo tempore, occasione predictarum novitatum, que acciderunt in civitate Imole, catanei de Sassadello comitatus Imole dereliquerunt ipsum castrum propter timorem domini Maghinardi, et comites de Cunio similiter dereliquerunt castrum Cunii. Et dictum castrum Sassadelli combustum fuit et destructum per fideles dicti domini Maghinardi, et dictum castrum Cunii spanatum fuit per comune Faventie.
Item, eo tempore, domini comites de Castrocaro, volentes redire et morari in domibus eorum, que erant in roccha et girone de Castrocaro, que comites Romanirole eis acceperant, et in ipsis erant custodes positi per ipsum comitem Romanirole, cum auxilio comunis et amicorum suorum de Forlivio et Faventia, fecerunt exercitum supra dictam rocham et gironem, et, cum manganis et preliis, per forciam, acceperunt ipsam rocham et gironem et obsides, qui erant ibi; et hoc fuit die iovis tercio mensis maii, anni domini M.CC nonagesimo sexto.
Item, eodem anno, die....., dominus Maghinardus Paganus de Sosenana electus fuit capitaneus populi civitatis Faventie, a dicta die in antea, usque ad kallendas augusti, et a kallendis

Item, eodem anno, die veneris XI mensis maii, comune Faventie ivit et fecit exercitum generalem supra castrum Bachagnani, quod erat Francisci de Manfredis, fecitque ibidem edificari tres manganos et castella et vias cohoptas ad expugnationem ipsius castri; stetitque ibidem exercitus XVI diebus. Tandem illi, qui erant in ipso castro, venerunt ad mandata comunis Faventie et domini Maghinardi capitanei dicte civitatis, et, salvis eorum personis et rebus, quas portare potuerunt, rediderunt castrum comuni Faventie, quod fuit destructum et splanatum.

Item, eo anno, die dominico III mensis iunii, post nonam, fuit magna et gravis tenpestas, que destruxit multa bona in comitatu Imole et Faventie, et fuit grossa sicut unus ovus et plus.

Item, sub eodem anno, die mercurii VI mensis iunii, sicut fuerat ordinatum, dominus Aço marchio Estensis, cum militibus et popularibus Mutine et Regii, et maxenatis suis militum et peditum, equitavit in comitatu Bononie ad terram, que vocatur Crespelanum, et misit suos curritores veniendo versus Bononiam usque ad burgum Panicalis. Ex alia parte dominus Franciscus frater predicti domini marchionis, cum comuni et hominibus Ferarie et eorum exforcio, equitaverunt in comitatu Bononie ad terram Peole et ad Altedium et per illas contratas, incendiendo et conburendo domos, et capiendo homines et boves, et multa danpna inferendo. Item, ex alia parte, dominus comes Galixius de Montefeltro et dominus Maghinardus Paganus de Sosenana capitanei generales guerre, cum eorum exforcio de Cesena, Forlivio, Faventia et Imola, equitaverunt in comitatum Bononie, supra castrum Sancti Petri ad terras Lignanum, Vidrianum, Fraxenetam et Galeгатam, conburendo domos per illas contratas, et capiendo oves et boves et homines et frumentum, et etiam ad terram Medicine et per illas contratas; ita quod dictum fuit tunc quod bene fuerunt conbuste ultra duo millia domos, in illa die mercurii, per comitatum Bononie.

Item, eodem anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, die lune XVIII mensis iunii, post terciam, unus nuncius venit ad dominum Maghinardum Paganum de Sosenana capitaneum populi civitatis Faventie qui sibi retulit quod inimici ipsius domini Maghinardi abstullerant sibi, fraudulentem et per prodicionem, castrum Stifunti; qua de causa idem dominus Maghinardus statim clamavit ad arma et equos, et, pulsata canpanella militum civitatis Faventie, versus partes illas viriliter equitavit, inveniendū iuxta dictum castrum Stifunti fratrem suum Paganum cum maxima quantitate hominum fidelium suorum; et, ex multis partibus, ibidem fecit exercitum congregari. Scivit enim quod inimici sui, qui venerant ad auferendum ipsum castrum, occiserant Ugolinum, cui dicebatur vulgariter Abate, fratrem naturalem ipsius domini Maghinardi, et plures alios, qui cum eo erant ad custodiam dicti castri. Verum, congregato exercitu, et circumdato ipso castro ita et taliter quod illi, qui[Page 86]

intraverant ipsum castrum, nequaquam exire poterant sine periculo personarum; stetit ibidem exercitus usque ad diem proxime subsequentem XX mensis iunii, et, ordinato prelio, ipsa die, post prandium, per vim et prelium maximum, captum fuit, et omnes, qui erant in ipso castro, fuerunt capti et mortui. Et fuerunt mortui undecim, et capti XXXIIIlor, inter quos mortuos occisus est gladio Çonolus filius dominis Ugonis de Sassadello et....

Item, eo anno, die dominico XV mensis iulii, equitaverunt milites et populares de Ravenna et de Cervia et de Arimino et de Bretenorio, cum multis militibus eorum amicis de Marchia, venientes ad civitatem Forlivii; nam comune Forlivii erat tunc in exercitu super Castrum novum, et fecerunt destrui de stecata et splanari de ripa civitatis Forlivii, ita quod equites et pedites intrare possent ad occupandam ipsam civitatem; et multos occiserunt, inter quos fuerunt mortui dominus Thedericus de Ordelaſſis et dominus Iohannes de Argoglosiis. Ad dictum vero rumorem traxerunt Scarpetta filius olim domini Thebaldi de Ordelaſſis et multi alii, et dominus Maghinardus et dominus comes Gallasius, qui, cum dicto exercitu, separabant se a dicta offensione et veniebant Forlivium, ita quod ipsam civitatem recuperaverunt, et expullerunt prefatos Ravennates et illos, qui cum eis venerant; et multi capti sunt et occisi, et occisi fuerunt dominus Rainerius de Calbullo, Iohannes eius frater et multi alii.

Item, eo anno, millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, die sabati primo mensis septenbris, intravit regimen potestarie civitatis Faventie dominus Marchixinus filius domini Ioannis de Argoglosiis de Forlivio, pro sex mensibus.

Item, eodem anno, die dominico XXIII mensis septenbris, dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus generalis, cum milicia et populo civitatis Faventie et Forlivii et Imole, et congregatis amicis suis, die martis tunc proxime subsequenti, equitavit ad Massam Lonbardorum, ibique positum fuit exercitus generalem, in quo exercitu fuerunt quatuorcentum milites domini Açonis marchionis Ferarie; et stetit exercitus ibidem VIII diebus continuus.

Interim vero supervenit in civitate Faventie novus comes provincie Romaniolę per romanam ecclesiam, videlicet dominus Maximus de Piperno, frater carnalis domini Petri de Piperno cardinalis apostolice sedis legati, qui dominus comes mandavit ut dictum exercitum separari deberet, et misit ad ipsum exercitum marischalchum suum, dicta occasione, die martis secundo mensis octubris: qui comes intravit Faventiam die iovis XXVII septenbris.

Et, dicta die martis, milites et populares civitatis Bononie equitaverunt Imolam, et, per vim, acceperunt et intraverunt burgum porte Alonis, eundo versus portam civitatis ipsius cum curribus et plaustis super, in quibus habebant pontes constructos de assidibus de abbete denodatos cum feramentis, causa proiciendi supra foveam civitatis, et super ipsis intrare debebant, et ipsam occupare; tamen hoc facere nequerunt, immo aliqui ex eis mortui sunt et capti. Ipsi vero Bononienses nequiter spoliaverunt locum sororum sancti Stephani, qui erat in dicto burgo, bonis omnibus suis et alienis. Tunc enim nova de eis transmissa fuerunt ad

exercitum supradictum; et illi de exercitu levaverunt canpum ipsa die martis, et, factis aciebus, tam militum quam peditum, viriliter et potenter Imolam perexerunt, ea intentione et animo preliandi cum Bononiensibus memoratis, si eos invenissent; sed ipsi iam, hospite insalutatos, recesserant, reliquentes currus et scutus et multas res, que illuc portaverant; que omnia fuerunt eis obprobrium senpiternum.

Item, die....., dominus Petrus de Piperno cardinalis, apostolice sedis legatus, intravit civitatem Bononie.

Item, die sabati XX mensis octubris, dictus dominus Maximus comes Romaniole separavit se de civitate Faventie insalutato hospite, dicendo quod ipse ibat causa venandi, et ivit Ravennam, que civitas Ravenna tunc inimicabatur civitatibus Faventie, Forlivii, Cesene et Imole. Et dominus Petrus de Piperno cardinalis, legatus apostolice sedis, qui erat Bononie, separavit se de ipsa civitate, tunc et ivit Florentiam.

Item, eodem anno, die martis VI mensis novenbris, nobilis vir dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus civitatum Faventie et Imole, cum quatuor centum militibus armatis et duobus millibus peditibus bonis et bene armatis lanceis longis, equitavit versus civitatem Ferarie, et ivit Mutinam in auxilium domini marchionis Açonis; occasione quoniam comune Bononie, cum toto suo exorcio, equitavit, et posuit exercitum supra castrum Baçanum, quod fecerat inforciari ipse dominus marchio, in districtu et comitatu Mutine. Et in ipso castro erant reclusi IVc equites et mille pedites: tandem, quia illi de dicto castro non habebant victualia, immo oportuit eos comedere carnes equorum tribus diebus, salvis personis et rebus eorum, reddiderunt castrum comuni Bononie; et hoc fuit die sabati XXIV novenbris.

Item, die mercurii XIV mensis novenbris dictus dominus comes Romaniole, qui erat Ravenna, cum toto suo exorcio de Arimino et de Marchia et Ravenna, militum et peditum, transitum fecit desuptus Imolam, et torsit in auxilium Bononiensium.

Anno a nativitate Domini nostri Ihesu Christi, millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, die veneris XXVIII mensis decenbris, illustris vir dominus Galasius comes Montisfeltri et dominus Maghinardus Paganus de Sosenana, capitanei generales in provincia Romaniole pro civitatibus Cesene, Forlivii, Faventie et Imole, Castrocarii et Bagnacavalli et eorum sequacibus et consortibus, et anbaxiatores solenpnes predictorum locorum iverunt ultra Paudum, ad parlamentandum et habendum colloquium cum illustri et magnifico viro domino Açone marchione extensi, super tractandis et ordinandis eorum factis et negotiis et amicorum suorum, et redierunt die lune ultimo decenbris.

Item, eodem millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, electus fuit nobilis vir dominus Ugoçonus de Façola capitaneus generalis guerre pro civitatibus Cesene, Forlivii, Faventie et Imole, et earum sequacibus, et venit ad civitatem Forlivii die XXI mensis februarii, et sequenti venit Faventiam, et eadem die ivit Imolam.

Item, sub eodem millesimo, die veneris primo mensis marcii, intravit regimen civitatis Faventie, pro sex mensibus, dominus Ordellaffus de Ordellaffis de Forlivio.

Item, eodem anno, die iovis secundo mensis maii, suprascriptus dominus Ugoçonus de Façola capitaneus generalis, dominus Ordellaffus potestas Faventie et dominus Maghinardus capitaneus Faventie et Imole, cum militibus et peditibus et guarnimento eorum, equitaverunt ad terram Lugi comitatus Imole: et statim, ipsa die, inceperunt inforciare castellare vetus Lugi; ipsum castrum Lugi, magnis foveis et cum bona stechata, inforciaverunt et munierunt[Page 88]

ad honorem summi pontificis et sancte romane ecclesie et domini archiepiscopi Ravennatis.

Item, eodem anno, die dominico XII mensis maii, supradicti domini, cum eorum exorcio, equitaverunt ad civitatem Imole, ibique congregaverunt magnam quantitatem equitum et peditum, et, die lune sequenti, equitaverunt versus Castrum Sancti Petri in comitatu Bononie usque ad S. Stephanum in Quaterna, et supra stratam usque ad Varenanum, capientes omnes homines et aliquos occidendo, et predam magnam bestiarum Imolam conducentes.

Demum, die martis tunc sequenti, venit maxenata civitatis Ariçii in quantitate equitum ducentorum proborum virorum, et etiam dominus Galasius comes Montisferetri capitaneus civitatis Cesene, cum militibus ipsius civitatis et bona quantitate peditum, similiter et de Forlivio et comites de Castrocario, in civitate Imole congregantes. Illi vero de Bononia, tam milites quam populares, venerunt ad Castrum Sancti Petri, ibique castrametati sunt.

Item, die mercurii tunc sequenti, equitavit predictus Maghinardus, cum quantitate militum et peditum, ad locum, ubi dicitur Aquavia; et castellare antiquum, ubi erat plebs Aquavie, fecit infortiari de bonis fossis et stechatis, posuitque ibi equites et pedites ad custodiam faciendam, ad hoc ut comune Bononie non haberet viam ad mittendum subsidium illis, qui morabantur in castro Masse Lonbardorum.

Item, die veneris sequenti tunc, suprascripti domini capitanei, cum tota eorum gente in civitate Imole congregata, equitum, peditum et balisteriorum, exeuntes ipsam civitatem, perexerunt versus Castrum Sancti Petri, ubi erant populus et milites civitatis Bononie, feceruntque tres acies militum et peditum, et unam fortem et bonam aciem, quam antecedere fecerunt ad incipiendum prelium cum predictis. Miseruntque nuncios suos ad Bononienses quod parati erant preliari cum eis in bello, qui penitus renuerunt, et posuerunt acies eorum usque ad locum, ubi dicitur Tuscanella, et trunbatores et tanburellos ire fecerunt [usque ad flumen Selaris, ubi Bononienses castrametati erant, et ibidem castra posuerunt ad occasum solis: quibus omnibus sic peractis, supradicti Romandioli, revolvantes acies eorum, magnifice cum astutia, Imole rediere. Quod ad dedecus et verecundiam Bononiensibus successum extitit].....

[Item, anno domini M.CC.LXXXXVIII, Malvixinus comes de Bagnacavallo equitavit cum sua forcia, eques et pedes, in comitatu Imolae, et fecit magna incendia domorum et albergorum,

propter inimicitiam, quam habebat cum comitibus Cunii . Et venit ad castrum].....
quod castrum erat comitis Alberici de Cunio, et ibidem fecit dari magnum prelium, et, in ipso prelio, vulneratus fuit Raulis filius domini fratris Çanbraxini de Çanbraxiis cum una lancea in cossa, ita quod, ex dicto vulnere, mortuus est. Et tunc illi de Lugo occurrerunt in servicium dicti comitis Alberici, et eiecerunt dictum Malvixinum et quos cum eo erant, ita quod multi de suis mortui fuerunt et vulnerati et capti. Et dictus Raulis sepultus fuit, die iovis XVI ianuarii, apud locum fratrum Predicatorum de Faventia; occasione cuius mortis, et propter dolorem et angustiam, quam habuerunt homines de Faventia, multi[Page 89]

vestiti sunt vestibus lugubribus, ostendentes dolorem esse vehementem de morte ipsius. Et multe gentes et nobiles de Forlivio et de Cesena et de Imola et de comitatu Imole, et Lanbertacii, qui tunc morabantur Imole, et de multis aliis contratis, tunc, illis diebus, venerunt Faventiam ad lugendum mortem dicti Raulis; et bene fuerunt ultra L boni viri, qui se dictis vestibus lugubris induerunt, inter quos fuit dominus Maghinardus de Sosenana et Octavianus eius gener, filius condam Ugolini de Sinno de [Ubaldinis].

Item, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione XI, die vigesimo mensis maii, comes Coradus de Montefeltro, filius olim comitis Dadei de Montefeltro, occisus fuit et frustratus a fidelibus suis, in castro suo, quod vocatur Petra Rubea, et, cum eo, occisi sunt frater ipsius Coradi dominus Philippus, et unus filius et una soror ipsius Coradi occisi sunt.

Item, eodem anno, die mercurii XVIII iunii, equitaverunt milites et populares civitatis Faventie ad civitatem Imole, pro eo quia Bononienses venerunt iusta Imolam, causa faciendi quastum.

Item, eodem anno, milites de Imola et de Lanbertaciis Imole commorantibus, in quantitate CC, equitaverunt versus Castrum Sancti Pauli, die veneris III iulii, ad insultandum et danpnificandum quosdam homines, qui segabant in pratis, et equites, qui ad eorum custodiam fuerant deputati; et accidit quod ipsos inventos viriliter insultarunt, et in fugam converterunt eosdem, occidentes ex eis V, et duas equas accipientes eisdem. Et, in eorum reditu, rumor insonuit ad Castrum Sancti Petri, ubi erant maxenate comunis Bononie in quantitate equitum IV.c, qui, statim ascendentes equos ipsorum, cucurrerunt contra Lanbertacios, et, dum fuerunt supra flumen Idicis, subtus stratam per duo milliaria, obviaverunt eisdem, e curritores eorum in fugam verterunt. Demum, cum dicti curritores fuerunt ad eorum acies, statim occurrerunt et insultaverunt predictas maxenatas, in quodam prato supra Idicem, et invicem preliantes, de illis de illis maxenatis multi occisi fuerunt, et capti et debellati fuerunt, et in fugam conversi, et equi plurimi et capti fuerunt et ducti ad civitatem Imole.

Item, anno predicto millesimo CC nonagesimo octavo, indictione XI, dum illi, qui habitabant in Massa Lonbardorum, que posita est in comitatu Imole, subtus stratam, fecerent magnam guerram habitatoribus civitatis Faventie et Imole; predicti et dominus Maghinardus eorum capitaneus fecit exercitum iuxta dictum castrum Masse, ibique fecerunt edificari et construi aliud castrum, ita quod nulla persona auderet mittere vel portare mercatum aliquod ad dictum castrum de Massa. Postea vero, ipsum novum castrum destructum fuit per ipsum dominum Maghinardum.

Item, eodem anno, congregatis in civitate Faventie et Imole militibus et populo undecunque, ad petitionem dominorum Gallasii comitis de Montefeltro capitanei civitatis Cesene et Maghinardi capitanei civitatis Faventie et Imole, et, die veneris, in sero, V mensis septenbris, illi, qui erant Faventie, iverunt Imolam; et, die lune VIII septenbris, equitaverunt milites et populares, qui erant ibidem, versus comitatum Bononie viriliter et potenter, in contrata Medicine.[Page 90]

Item equitaverunt, die mercurii tunc sequenti, in illis contratis, ubi multas domos incenderunt, ceperunt homines plurimos, et bestias minutas et grossas acceperunt eisdem.

Item, eodem anno, die martis XIV mensis octubris, illustris vir dominus comes Bandinus Dei gratia in Tuscia pallatinus, potestas civitatis Faventie, cum milicia et populo civitatis eiusdem, et dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus civitatis Faventie et Imole, cum milicia et populo civitatis Imole, et Lanbertacii commorantes Imole, equitaverunt ad Lugum in comitatu Imole, et ad Roncadellum, occasione obviandi Bononiensibus venientibus causa furniendi castrum Masse Lonbardorum pane, vino et aliis victualis necessariis; qui Bononienses, in nemoribus et palludibus de Trixenti, incepterunt facere viam et stratam, cum gradiciis et assidibus; sed, propter inundationem aquarum et pluvias multas, non potuerunt complere id, quod facere intendebant, ita quod exercitus, ex utraque parte, reversi sunt ad domos eorum, die sabati XVIII octubris.

Et, eo tempore, fecerunt et inforciaverunt castrum Sancti Iohannis in Pentecaxo, in odium Bononiensium.

Item, eodem anno, die veneris XXIV octubris, venit nix magna, et congelavit fortiter, et glacies magna fuit, et duravit malum tempus multis diebus.

Item, eo anno, die sabati primo mensis novenbris, in die solenpnitatis omnium sanctorum, Maxius filius condam domini Acharixii de Acharixiis, electus potestas civitatis Imole, ivit ad ipsam civitatem, et, ipsa die, intravit regimen civitatis ipsius.

Item, anno millesimo CC.LXXXIX, die sabati ultima mensis februarii, electus fuit potestas Faventie, pro sex mensibus, dominus comes Bandinus de Mutilliana. Qui, facta sibi denuntiatione per sindicum comunis Faventie, renuntiavit ipsam electionem et potestariam.

Et, die dominica, primo mensis marçii, dominus Maghinardus de Sosenana fuit electus potestas Faventie per unum mensem, cum salario C librarum Bononie pro illo mense.

Et, dicta die prima marçii, electus fuit potestas Faventie, pro sex mensibus sequentibus, ille, qui voluerit, et de quo dixerit dominus Franciscus Napolionis cardinalis Romanus, incipiendo regimen suum ea die, qua intraverit civitatem Faventie. Qui renuntiavit electionem

de se factam; quare electus fuit potestas Faventie illustris vir dominus comes Tigrimus de Mutilliana Dei gratia in Tuscia pallatinus, pro sex mensibus, qui venit, et intravit regimen ipsius civitatis, die dominico X maii.

Item, eodem anno, die martis XXI mensis aprilis, in civitate Faventie, convenerunt simul ad presentiam domini Maghinardi Pagani de Sosenana, tunc potestatis et capitanei civitatis eiusdem et capitanei civitatis Imole, anbaxiatores domini Mathei de Viscontis capitanei Mediolani, et domini Alberti de la Scala domini civitatis Verone, et dominorum Açonis et Francisci marchionum de Feraria, et comunis Bononie, causa tractandi concordiam inter Bononienses intrinsecos et extrinsecos, et super aliis, que habebant in mandatis.

Anno Domini millesimo CC nonagesimo nono, indictione XII, frater Agnellus de Faventia[Page 91]

prior loci fratrum Predicatorum conventus Faventie, illis diebus, tractavit concordiam inter comune Bononie et illos de provincia Romaniole, qui observabant partem Lanbertaciorum extrinsecorum de Bononia, et, pluribus vicibus, ivit Bononiam, et revertebatur Faventiam et Forlivium dicta de causa. Et, contigit, ad eius tractatum convenerunt, apud Montem Regis supra Castrum Sancti Petri, ubi est locus fratrum Minorum, et etiam apud quoddam pratum extra Castrum Sancti Petri, pluribus vicibus, anbaxiatores de Bononia, una cum domino Ottollino de Mandello potestatis Bononie, ex una parte, et anbaxiatores de Imola, Faventia, Forlivio et Cesena, una cum comite Galasio capitaneo Cesene, domino Maghinardo capitaneo Faventie et Imole. Et, tractatu habito inter eos, fecerunt pacem ad invicem, et syndici generales electi fuerunt ex utraque parte, qui se, osculo pacis et concordie, osculati fuerunt.

Et, postea, dictus potestas Bononie, cum magnis anbaxatoribus, venierunt Faventiam et Forlivium ad tractandum ea, que videbantur eis pro utilitate et conservatione dicte pacis, ubi honorem maximum receperunt. Et, ab inde in antea, omnes mercatores de Bononia, cum eorum mercationibus, secure ire atque redire potuerunt per loca predicta.

Item, eo anno, in kallendis maii, electus est potestas Faventie illustris dominus comes Tigrimus de Mutilliana Dei gratia in Tuscia pallatinus, pro sex mensibus, qui venit Faventiam ad ipsum regimen exercendum, die dominico X mensis maii.

Item, eo anno, rex Karulus et donpnus Iacobus rex Aragonum, cum eorum exforcio et gente de Ianua et Catellonia et Francia, et etiam aliunde, armata manu, in galeis et lignis, in mari regni Apullie, bellum maximum commiserunt una cum gente et armata regis Frederici de Scicilia, ita quod gentes ipsius regis Frederici debellate fuerunt, et capti et mortui in maxima quantitate; et hoc fuit die IV mensis iullii anni predicti. Postea vero, elapsis aliquot diebus, in eisdem partibus, fuit magnus conflictus de gente regis Karuli, qui fuerunt[Page 92]

debellati, capti et occisi in maxima quantitate per dictum regem Fredericum et gentem suam.

Item, eodem anno, suprascriptus donpnus Iacobus rex Aragonum separavit se a societate predicti regis Karuli, pro eo quia dominus papa Bonifacius noluit sibi dare stipendia, que sibi promiserat.

Item, eodem anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono, indictione XII, dum domini de Colunpna de Urbe romana, propter eorum inobedientiam, essent per summum pontificem condenpnati, et, tanquam heretici et sismatici, repulsi usque in quartam generationem, tam descendentium, quam colateralium utriusque sexus, et privati omnibus eorum bonis et iuribus ac privilegiis, tam laicatus, quam clericatus; et aliqui ex eis venissent in provinciam Romaniole ad quoddam eorum castrum nomine Montemveclum, quod extaret extra supra Forlivium, in montanis; et, per literas ipsius domini pape, missas episcopis Faventie et Forlivii et per universum orbem, ipsi Colunpnates essent excommunicati, et, ut rebelles ecclesie ac heretici, evitandi et repellendi; volentes domini Maghinardus de Sosenana capitaneus populi civitatum Faventie et Forlivii et Galassus capitaneus civitatis Cesene, secundum voluntatem domini pape, persequi predictos Colunpnates, cum eorum exforcio dictarum civitatum, fecerunt exercitum supra dictum castrum Montisvecli, et, finaliter, ipsum castrum, cum omnibus eorum iuribus, ad eorum mandata habuerunt, ponentes in ipso castro bonos et fidos custodes, qui ipsum castrum custodirent et salvarent, donec a domino papa receperint literas, quid de ipso castro vellet fieri debere. Et hoc fuit dicto anno, die martis XXVII mensis octubris.

Item, eodem anno, factus fuit potestas Faventie, in kalendis novenbris, pro uno mense, dominus Maghinardus Paganus de Sosenana, donec alius potestas veniret, qui fuit dominus Iohannes de Monte Açanico filius condam domini Ugolini de Sinno de Ubaldinis, qui venit Faventiam, et intravit et iuravit et inceptit regimen die martis primo mensis decenbris, et fuit potestas pro sex mensibus, scilicet usque ad kallendas iunii anni sequentis.

Item, eo anno, de mense decenbris, et etiam in anno tunc sequenti millesimo CCC, fuit magnus conflictus et magna strages de gente regis Karuli in provincia Scicilie.

.....

Anno Domini nostri Ihesu Christi millesimo trecentesimo, indictione XIII, dominus Maghinardus Paganus de Sosenana capitaneus civitatum Forlivii, Favencie et Imole habuit ad mandata sua castrum Linarii supra Imolam, quod castrum erat Alidoxii de Massa; circa quod castrum steterat in obsidione per duos menses et ultra, faciendo iactari in eo quatuor manganos continue, die et nocte. Et, dum vellet dare prelium ad ipsum castrum, die dominica XXI februarii, illi, qui erant in ipso castro, concordaverunt cum eo, et, salvis eorum personis et rebus, reddiderunt sibi castrum, qui fecit eum devastari et explanari totaliter.

.....

[Domini no]stri Iesu Christi, incipiente dicto anno trecentesimo, debellati sunt dictus soldanus[Page 93]

et Saraceni, et mortui in bello bene centum millaria ex Saracenis et maxima multitudo aliorum; et predicti reges recuperaverunt Ierusalem et sepulcrum Domini et multas terras,

quas tenebant Saraceni in danpnum et preiudicium Christianorum et in vituperium Crucifissi; et, in die Ephifanie Domini, fecerunt cantari missam in Ierusalem, ad laudem et gloriam Domini Ihesu Christi; et rex Tartarorum fecit se batıçari cum gente sua. Et dicebatur quod dicti reges, in dicto prelio, habuerunt secum ultra mille millaria equitum, et infinitam populorum et innumerabilem comitivam.

Ad eternam igitur rei memoriam hec scripta sunt, videlicet quod, incipiente anno Domini nostri Ihesu Christi millesimo trecentesimo, indictione XIII, in die natalis Domini et ante, in Siria, Dei filius, per manus Tartarorum, est magnalia operatus contra inimicos crucis Christi; nam rex Herminie, ut dictum fuit, divina inspiratione commonitus, suas literas destinavit ad regem Tartarorum, qui vocabatur....., significando sibi qualiter Saraceni occupaverant totum regnum Herminie, quod regnum retinebat a rege Tartarorum; et, nisi ipse rex Tartarorum adhiberet remedium, totum regnum perditum erat. Qui rex Tartarorum respondit quod spes sepe sibi ministraverat, quod ipse deberet venire ad vindicandum obprobrium Christianorum et sanguinem eorum, qui effusus erat, et quod ipse prepararet se, cum exercitu suo, contra Saracenos. Et tunc rex Herminie, statim, congregavit exercitum suum, et quasi omnia sua castra occupata per Saracenos recuperavit; et de ipsis Saracenis, in predictis bellis, mortui fuerunt et capti ultra duo millia equitum. Isto medio tempore, dominus rex Tartarorum, congregato suo exercitu, qui fuit deni centena millia in equis et quadraginta millia, qui precedebant alium magnum exercitum, et rex Çarçiarum, qui est christianus, cum decem milibus equitibus, venerunt in Siriam. Et, quando Saraceni audiverunt talia, statim miserunt XVI millia equites ad Aquas Frigidas, ad hoc ut Tartari non possent transire, quia ibi erat transitus eorum. Et iam isti quadraginta millia equites Tartarorum iam transiverant, qui precedebant magnum exercitum Tartarorum, ante quam Saraceni venirent, invenientes eos in via; et tunc ad invicem preliati sunt, et omnes illi XVI millia Saraceni mortui et capti fuerunt. Et ipsi Tartari tunc venerunt usque ad Damascum, ubi soldanus rex Saracenorum erat cum parva militum quantitate; et tunc Christiani renegati, cum eorum exorcio, quod fuit bene VII.m militum armatorum, exiverunt Damascum et redierunt ad fidem Christi, et fuerunt cum Tartaris viriliter preliantes contra Saracenos, et ipsam civitatem Damasci incendio concremarunt, omnes Saracenos gladio perimentes. Et tunc soldanus se reduxit ad quandam locum, qui vocatur Çamella, cum centum septuaginta m. equis, ita quod unus exercitus videbat alium. Et tunc dominus Tartarorum accepit quinquies centum millia equorum, et fecit eos ligari insimul funibus, et, inter equos, posuit sagittarios pedites, et, post istos, fecit acies fortissimas, et precepit, sub pena capitis, quod se ad invicem nullo modo separarent, donec Saraceni essent mortui et conflicti; postmodum fecit insidias quatuor, et, in qualibet insidia, posuit decem millia equites, et dixit eis: "Scitis parati quando faciam vobis tale signum de fumo, ut veniatis omnes, et decem millia percuciant ex una parte, et alia decem millia ex alia parte, et alia decem millia ex alia parte, et alia decem millia ex alia parte; et omnes clament una voce, et clamando percuciant eos". Et sic istis ita ordinatis, ascendit cum rege Herminie super unum montem parvulum, ut posset videre Saracenos. Et, stans super montem illum, vidit exercitum Saracenorum, et tunc dixit regi Herminie: "Ego sum proditus, quia omnes isti sunt Christiani". Respondit rex Herminie: "Domine, non timeatis, quia sunt Saraceni; sed habent arma Christianorum, nam, quando ceperunt Acri et Tripuli et terram Christianorum, tunc habuerunt ista arma". Et tunc iste dominus Tartarorum oravit flexis genibus, et, elevatis oculis ad celum, dixit: "Domine Deus, tu scis quod non ex cupiditate, nec avaricia veni contra istos inimicos crucis; sed solummodo ad vindicandum obprobrium et sanguinem Christianorum. Et ideo rogo ut, sicut ista fuit intencio mea, ita mittas michi auxilium de

[Page 94]

celo". Et rex Herminie erat senper iuxta eum, confortando ipsum. Et, ita stando, Saraceni habuerunt consilium ad invicem, dicentes: "Quid facimus nos? Mittamus ad eos nuntium dicendo eis: - Nos sumus Saraceni et vos Saraceni; quare volumus nos preliari ad invicem et interficere nos? Si vultis habere trevam, dabimus eam vobis, et, si vultis pacem, dabimus vobis; et tunc facies tale signum, et, si noluerint, non facies signum, et statim percuciemus eos"; et ita miserunt. Nuntius vero ivit ad regem Tartarorum, et dixit sicut inpositum ei fuerat. Et tunc rex non respondit, et ille iterum dixit, et adhuc non respondit. Et, tertia vice, dixit, et rex respondit ei, per interpretem, quod ipse venerat ad honorem crucis et ad vindicandum sanguinem Christianorum; et, hoc verbo dicto, ille nuntius recessit, et non fecit signum, et statim Saraceni percusserunt acies Tartarorum, et diu preliati sunt ante acies equorum, qui non habebant sessoros, sed tantum pedites sagittarios inter dictos equos ligatos, preliando a mane usque ad sextam. Et iam incipiebant Tartari retrocedere, et tunc nuntius quidam venit ad regem Tartarorum, dicens ei: "Domine rex, faciatis fieri signum, quoniam nostri iam incipiunt retrocedere". Et tunc ipse rex levavit oculos suos ad celum, dicens: "Domine Deus, per cuius amorem veni, adiuva me". Et statim fecit fieri signum fumi, quo viso, illi, qui stabant in insidiis, statim ceperunt clamare, et percusserunt in Saracenos undique, ita quod bellum duravit usque ad vespertas, et de omnibus illis Saracenis non evaserunt nisi duo millia. Et tunc rex Tartarorum misit post eos, de consilio regis Herminie, quinquaginta millia equites. Illi vero, qui evaserant, Saraceni, cum illis de Babilonia et de Egipto, congregaverunt et reduxerunt se apud Gaçariam, et fuerunt in quantitate bene sexaginta millia equitum. Et tunc rex Herminie dixit domino regi Tartarorum: "Detis michi quinquaginta millia equites, et sequemur Saracenos, et alius magnus exercitus Tartarorum veniet post nos plane". Et rex Herminie, persequendo Saracenos, invenit multos Tartaros fugientes, et fecit eos iungi cum suo exercitu, et cogitavit, dicens: "Retrocedamus, ita quod Saraceni non perpendant de nobis, et, quando nox erit, dabimus pabulum bestiis nostris; et isti, statim, videntes nos retrocedere, figet eorum tentoria et descendunt; et postmodum nos descendemus equos et medietas nostrum [remanebit] hic, et alia medietas et ego ibimus per aliam [partem] et ponemus eos in medio nostrum, ita quod non possint fugere". Et ita fecerunt, et, percucientes

eos, nullus ex Saracenis evasit, et iverunt usque in Babiloniam civitatem magnam, et transierunt desertum.

Item rex Herminie cantavit missam in Ierusalem, in die Ephifanie Domini, et Tartari batıçatı sunt in flumine Çordano, omnes Saracenos, quos inveniebant, interficientes, preter rusticos, quos conservant ad collendum terras. Et Tartari duxerunt secum uxores eorum, filios et filias, non comedentes nisi carnes equorum, et camelorum, ducentes cum eis per comestionem solummodo quinquaginta millia equorum et camelos et boves et oves, quorum nullus est numerus. Haec omnia et multa alia predicta fuerunt in [mensibus] decenbris, ianuarii et februarii an[ni predicti]

[Eodem anno factus est comes provincie Romandiole et civitatis Bononie in temporalibus et spiritualibus dominus Mattheus de Aquasparta cardinalis episcopus qui venit ad civitatem Bononie, ubi stetit pluribus diebus.

Deinde venit Imolam die mercurii VII decenbris, et, die IX decenbris, venit Faventiam, ubi consecravit unum episcopum in ecclesia beati Petri Apostoli, et inde se transtulit die XII decenbris idem comes Forlivium.[Page 95]

Anno domini M.CCCI, die veneris XIV februarii supradictus dominus cardinalis comes Romandiolae, dum esset in civitate Ravenne, fecit parlamentum generale in loco ubi dicitur Canaçosia, qui locus est in confinibus districtus Faventie et districtus Ravenne. Et in ipso parlamento fuerunt domini Federicus comes filius comitis Guidonis de Monte Feltro capitaneus Cesene, cum anbaxatoribus ipsius civitatis, dominus Maghinardus Paganus capitaneus civitatum Forlivii, Faventie et Imole, cum anbaxatoribus ipsarum. Et ibidem proposuit de faciendo pacem et concordiam generalem et specialem in dicta provincia Romandiole.

Anno domini M.CCCII, die lune XXVII mensis augusti, dominus Maghinardus de Sosenana capitaneus Imole et Faventie occubuit in civitate Imole.....

Anno domini M.CCCIII.....

Eo vero anno marchio de Feraria congregavit maximum exercitum militum, peditum et balistariorum undecunque; propter quod comune et populus Bononie, timens ne ipse marchio vellet aliquid innovare in preiudicium comunis Bononie, similiter fecit comune Bononie maximum exercitum militum et peditum, et fecit venire ad civitatem Bononie omnes de comitatu Bononie, et requisiti fuerunt, ex parte populi bononiensis, Forlivienses et Faventini ac Imolenses, cum eorum complicitibus, ut se unirent cum comuni Bononie, vigore conventionis adiuvandi facte ad invicem.

Qui dicta de causa iverunt Bononie, et facti sunt syndici a prefatis comunitatibus cum anbaxatoribus solenpniter faciendis. Et, die iovis, ad petitionem populi et comunis Bononie, iverunt Imolam CC milites de Faventia, die sabati VI aprilis, et centum postea comunis Faventie iverunt Imolam, et ibi steterunt in civitate Imole. Et, die veneris, equitaverunt Imolam milites de Faventia, deputatis aliquibus ad custodiam civitatis Faventie. Et deinde equitaverunt omnes predicti milites, qui erant Imole, versus civitatem Bononie, ubi honorifice recepti fuerunt, et ibi steterunt usque ad diem lune. Et demum equitaverunt omnes predicti; et milites de Faventia exierunt de civitate Bononie et redierunt Faventiam propter rumores, quos audiverunt esse in civitate Faventie. Et, in civitate Bononie, contracta fuit societas et liga cum solenpnitatibus opportunis inter comune Bononie, Imole, Faventie, Forlivii et amicos et complices eorum et Pistorienses intrinsecos et Blanchos de Florentia. Et facte fuerunt promissiones hinc inde per syndicos speciales uniuscuiusque terre.

Item, eodem anno creati sunt potestates civitatis Faventie dominus Franciscus condam domini Thebaldi de Ordelaiss et dominus Lanbertucius condam Iohannis de Argugliosiis, omnes de Forlivio.

Item, eodem tempore, convenerunt ad invicem, in civitate Faventie, anbaxiatores solenpnres de civitate Bononie, Imole, Forlivii, Blancorum exteriorum de Florentia et de civitate Pistorii et eorum sequacium, et ibidem pluribus diebus steterunt, et fecerunt eorum ordinamenta pro liga et societate sua tutanda et defendenda. Et elligerunt unum capitaneum generalem totius lige et societatis predictae, qui fuit dominus Salinguerra condam Petri Taurelli nati domini Salinguerre de Feraria, et idem capitaneus venit Faventie die XXVII aprilis, et die II maii iuravit].

.....

.... insultantes predictos Guidonem de Glauçano et filios suos et eorum sequaces, qui erant[Page 96]

cum eis, iuxta Sanctum Bartolum; illi vero, se viriliter defendentes, irruerunt super eos percucientes omnes viriliter et potenter, retrocedendo eos, et vulnerando et occidendo, ita quod, in ipso conflictu, vulneratus fuit dominus Guido Raulis, in vultu et in pluribus aliis partibus persone; occisus fuit Anastaxinus de Guiglarinis, occisus fuit Lopus Borena de Florentia occisus fuit Paganellus de Casaliclo, qui erat familiaris dicti domini Guidonis, et multi alii vulnerati fuerunt ex utraque parte; quibus omnibus sic peractis, supervenerunt milites de Forlivio et de Forlinpopulo, et alie gentes multe, ita quod, die mercurii V ianuarii predicti, Acharixii, scilicet dominus Federicus et Dadeus et Çesius filii dicti domini Federici, redierunt in civitatem Faventie; et, eo die, comes Tancredus, cum tota familia sua et stipendiariis, revertit de civitate Faventie. Die vero VI ianuarii, dominus Guido Raulis de Çanbraxiis fecit se portari in una lecteria ad civitatem Forlivii, ubi statutus fuit sibi terminus, per dictum potestatem et comune Faventie, XL dierum ad demorandum ibi; postea ivit Mutillianam, et, infra paucos dies, oportuit ipsum dominum Guidonem transire alpes usque ad Sanctum Gaudentium, ad domum comitis Tancredi, que vocatur Specialis.

Eo die comes Bandinus de Mutilliana electus fuit potestas populi Faventie a kalendis ianuarii tunc instantis usque ad duos annos. Et, die VIII ianuarii, fuit electus capitaneus populi Faventie similiter pro duobus annis.

Eodem anno, millesimo CCC.VI, indictione IV, die XXVI ianuarii, rumor magnus insonuit in civitate Mutine: "Moriatur Marchio! Moriatur!"; quare omnes fuerunt ad arma, et expulsi

fuerunt omnes stipendiarii marchionis, equites et pedites, de ipsa civitate Mutine, et multi ex eis fuerunt capti et derobati.

Et simili modo actum fuit in civitate Regii, die sequenti, ita quod omnes sui stipendiarii et familie tote fuerunt expulse de ipsis duabus civitatibus, et etiam de castro Finalis et de pluribus aliis locis.

Item, eo anno, comune Florencie et comune civitatis Luche, cum eorum sequacibus et cum domino Karulo sine terra, fecerunt exercitum super civitatem Pistorii, que tenebatur tunc per partem Ghibellinorum, et per Blancos de Florencia et eorum sequaces, et, in ipso exercitu, steterunt fere per XI menses. Finaliter non potuerunt plus substinere propter defectum victualium, ita quod, facta concordia, et salvis personis et rebus, reddita fuit civitas Pistorii civitati Florencie. Postea dictum comune Florencie concordavit cum comuni Luche hoc modo, quod medietas ipsius civitatis Pistorii esset supposita iurisdictioni comunis Florentie, et alia medietas iurisdictioni comunis Luche. Et devastaverunt muros et fortilitias ipsas, et ordinaverunt quod fierent duo burgi de ipsa civitate Pistorii, quorum unus esset de iurisdictione comunis Florencie, et alius de iurisdictione comunis Luche; et quelibet ipsarum civitatum dedit suum potestatem ibidem.

In diebus illis fuerunt magni rumores in civitate Bononie, inter illos de parte Geremiorum.

Nam multi ex eis apellabantur de parte Marchisii, et alii e contrario, qui tunc

tenporis dominabantur in ipsa civitate; et, dicta de causa, plures de ipsis Marchianis missi[Page 97]

sunt ad confinia, et plures banniti, et domus destructe. Et, tempore procedente, contigit quod Marchisani assumpserunt vires et audaciam, ita quod acceperunt dominium civitatis, et expullerunt illum capitaneum, qui tunc ibi erat, qui vocabatur dominus Ranbertus domini Salinguerre de Feraria, et electus fuit potestas Bononie dominus Bernardinus de Polenta de Ravenna, et capitaneus fuit dominus Pinus de Rossis de Florencia. Et multi de alio quarterio missi sunt ad confinia, et magni rumores surrexerunt in civitate illa, illis tenporibus.

Item, eodem M.CCC.VI, supervenit ad civitatem Bononie dominus Napoleonus cardinalis romanus legatus apostolice sedis, ubi stetit aliquibus diebus; qui, volens pacificare et concordare eos ad invicem, non poterat, eo quia illa pars marchixana receperat multas iniurias ab alia parte, et sic incepterunt dominari, et se vindicare, que omnia displicebant dicto cardinali.

Et accidit quod, quodam die, videlicet XXIII mensis maii eiusdem anni, multi de ipso quarterio marchixano, armata manu, insultaverunt ad pallacium episcopatus Bononiensis, ubi hospitabatur idem dominus cardinalis, clamantes fortiter: "Moriatur, moriatur proditor!", fregentes ianuas; et tunc supervenit dominus Bernardinus potestas Bononie, et finaliter, extinto rumore, oportuit quod idem d. cardinalis separaret se de civitate Bononie cum tota sua familia, et, tanquam fugatus, et timens de persona, per devia et non per stratam rectam, reduxit se ad civitatem Imole; verum de rebus suis, que erant super mulos, derobati fuerunt per stratam. Et, dictis de causis, multi de ipsa civitate Bononie aufugerunt, et separaverunt se de ipsa civitate, qui fuerunt positi in banno, et domus eorum destructe.

Item, eodem millesimo, comune Forlivii et milites Faventie equitaverunt ad castrum Bretenorii, quod castrum tenebant, et dominabantur in eo, Calbolenses; et, propter malum dominium et mala opera, que dicti Calbolenses faciebant, illi de ipso castro non potuerunt amplius substinere. [*Et, hac de causa*] ipsi Forlivienses [et qui] cum eis [*erant, ipsum castrum, per vim* et prelium, acceperunt. Verum tamen, quare illi Calbulenses, cum eorum sequacibus, in gironem se reducerunt, et intus non habebant victualia, comuni Forlivii, salvis rebus et personis, se reddiderunt; et remansit totum castrum, cum fortilitiis, sub dominio comunis Furlivii, et illi expulsi sunt exinde. Eodem anno, die XXI iunii, dominus Napolionus legatus prefatus, moram trahens in civitate Imole, in pleno concistorio, ubi erant clerici et laici, tam cives quam forenses, in maxima moltitudine, suam excommunicationis tullit sententiam contra comune Bononie, excomunicando potestatem et capitaneum, ançianos et consules, deffensorem et multos nominatim, *et generaliter totam civitatem et eius comitatum ecclesiastico subposuit interdicto, nisi etc.*].

Eodem anno, die II mensis agusti, dominus Napoleonus cardinalis venit ad civitatem Faventie, et ibi fuit honorifice receptus, et moram traxit per unum mensem.

[*Item, die secunda mensis septenbris, separav*]it se de civitate [Faventie et *ivit ad civitatem* Forlivii, et, stando in dicta civitate, venerunt milites de Canpania cccl, et pedites centum, *et ibi steterunt diebus X; et postea ivit Imolam*].

[Home](#)

Petrus Cantinelli. Date: 09/06/2004
